



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Tractatus II. De Subjecto, & Fundamentis moralis christianae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)



TRACTATUS II.

DE

SUBJECTO, ET FUNDAMENTIS
MORALIS CHRISTIANÆ.

SECTIO I.

DE

SUBJECTO MORALIS CHRISTIANÆ.

CAPUT I.

Hominis lapsi miser exponitur Status.

Homo interim non amplius illud illustre ma-
num Dei opus est, non ille omnium crea-
turarum Rex, non imago illa viva & in-
telligens sui Creatoris, quemadmodum ab ini-
tio inter Dei manus extitit. Opus est modo pene
destructum; mancipium est, contra quod omnes
pugnant creaturæ, ut ejus sui Creatoris præcep-
to inobedientiam puniant; imago est penitus fere
deleta, quæ prioris pulchritudinis vix servat ve-
stigia. *Ex quo Adam, (inquit sanctus Augustinus
Lib. 1. de nupt. c. 32.) ex olea tali, in qua
nec semen erat hujusmodi, unde amaritudo nasce-
retur oleastri, in oleastrum peccando conversus est,
quia tam magnum peccatum fuit, ubi magna in-
deterius fieret mutatio naturæ, totum genus hu-
manum fecit oleastrum.*

Aure-

Aurelianense secundum Concilium, ab universa Ecclesia receptum, Canone primo ait: Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum idest secundum corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illæsa durante corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus adversatur Scripturæ.

Tridentinum Concilium sessione quinta eandem doctrinam adversus nostri temporis hæreticos tradit: Si quis non constetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, totumque Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus & animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit. Hæc igitur in homine mutatio in deterius secundum corpus & animam facta est. Corpus per illam morti subicitur: Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, inquit Apostolus, Rom. 5. Pelagiani affirmant, etiamsi non peccasset, Adam nihilominus interiturum fuisse; sed hunc errorem Ecclesia damnavit. Si mors, (inquit Pelagianis sanctus Augustinus Lib. 2. oper. imperf.) pœnalis non est, quæ a corpore animam separat, cur eum timet natura, quam sic laudas, ut neges esse vitiatam? Quid causæ est, ut infans ubi paululum ab infantia progredi cæperit, jam formidet occidi? Cur non ita ut in somnium, sensus est proclivis in mortem? Si ergo frustra mors timetur, ipse timor ejus est pœna; si autem anima separari a corpore naturaliter non vult, ipsa

ipsa mors pœna est, quamvis eam in usum bonum gratia divina convertat. Dolores, morbi infirmitates, quæ corpus affligunt; miseriæ sunt, quæ peccatum supponunt; quas miseras vos cum sine illo peccato accidere dicitis parvulis, injustum Deum versus illos facitis. Menti ac rationi hominis corpus tunc subdebatur; imprudens nunc, furens, ac rebellis est servus, qui tum mentis tum rationis jugum pati recusat. Caro (inquit Apostolus Gal. 5.) concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Morte tantum hæc pugna cessat. Cuncti corporis sensus id moliri videntur, ut spiritum fallant, qui illorum testimonio innititur. Oculo nil nobilius; de oculo tamen inquit Ecclesiasticus: *Nequius oculo quid creatum est (Eccl. 31.)?* de auribus vero ait: *Sepi aures tuas spinis (Eccl. 28.):* facile siquidem pravis sermonibus patent. A sancto Jacobo lingua vocatur *universitas iniquitatis (Jac. 3.).* Omnis enim, inquit ille, *natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt a natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest.* De gulæ vitiis non loquar, quæ sanitatem corrumpunt. Tactus quoque vitia prætereo, cujus voluptates hominem belluis similem efficiunt. Verum quam animæ hominis peccatum attulit, longe deplorabilior est mutatio: intellectus enim, qui lucis olim fons erat, nunc tenebrarum est sedes, & jam quæ sibi sint agenda homo ignorat. *Approbare falsa pro veris, (ait sanctus Augustinus Lib. 3. de lib. arb. c. 18.) ut quis erret invitus, non est natura instituti hominis, sed pœna*
dam-

damnati. Ab hoc intellectus vulnere humani omnes prodeunt errores, nec ulli umquam adeo absonti fuisse, quos non plerique hominum amplecterentur. Inter idololatrias, & felium, & murium, & crocodilorum, & cæparum adoratores extitere. Apud Romanos, qui tam prudentes erant, & docti, *Felicitas colebatur, & Pavor, & Pallor, & Febris, & cætera, non Numina, sed crimina*, inquit sanctus Augustinus. Inter Christianos vero hæreticorum secta fuit, Ophitarum dicta, quæ teste sancto Epiphanio serpentem colebat: & supra aram servabat, quemadmodum apud nos sanctissima Eucharistia hodie asservatur: cum autem apud hos sacra mysteria celebrabantur, educebatur serpens, qui supra panem reptabat, & hoc contactu consecratio fieri credebatur. Absurdusne aliquid, aut risu dignius potest excogitari? hunc tamen errorem plerique susceperunt. Sancti Augustini, cujus miras recitamus sententias, & vere cælestem doctrinam sectamur, perrarum erat ingenium; in Manichæorum tamen secta, cujus dogmata recte rationi & Philosophiæ non minus, quam Evangelio adversantur, novem ille transegit annos. Integræ demum visuntur adhuc nationes iis erroribus obvolutæ, qui ex hoc dumtaxat ignorantia fonte possunt proficisci. *Id est autem æquum, (inquit hic sanctus Doctor L. I. de Lib. arb. c. 18.) ut qui sciens recte non facit, amittat scire quod rectum sit.*

Attamen intellectus vulnus, quantumlibet magnum, voluntatis & liberi arbitrii vulnere non

non est comparandum. Graviora hic peccati damna manent. Cum ad Dei amorem ante peccatum voluntas unice inhiaret, creaturarum amore rota modo est repleta; tantoque impetu ac vi ad sui, inferiorumque bonorum amorem fertur, ut Jesu Christi dumtaxat gratia ab hoc illam amore valeat liberare. Verum ne longior sim, pauca solum de liberi arbitrii damnis verba faciam. Certum est nos liberum arbitrium non amisisse; sed æque certum est per peccatum fuisse debilitatum illud ac imminutum. Pari facilitate bonum vel malum poterat in Adam eligere; modo autem adeo sub peccato est captivum, ut sine Dei gratia nullum meriti capax opus facere possit. Ita sanctus Augustinus docet: *Arbitrium voluntatis, tunc est vere liberum, cum vitiis peccatisque non servit. Tale datum est a Deo, quod amissum proprio vitio, nisi a quo dari potuit, reddi non potest. Unde veritas dicit: Si Filius vos liberaverit, tunc vere liberi eritis.* In terrestri Paradiso ea libertate Adam fruebatur, ut victrici gratia non indigeret, ne peccaret, & ut illum nihil ad peccandum impelleret; quoniam vero voluntarie peccando libertatem illam amisit, *pœnalis vitiositas subsecuta ex libertate fecit necessitatem* (de Nat. & grat. cap. 66.). Sine Jesu Christi namque gratia nequit nunc homo peccatum vitare; atque hæc peccandi necessitas, quæ penitus tamen libertatem non aufert, non cessabit, *donec tota sanetur infirmitas*; in altera etenim vita sic in bono firmabimur, ut peccare numquam possimus, & bene vivendi, semperque gaudendi beatam necessitatem habeamus.

Antequam igitur Christi gratia nos liberet, libero nostro arbitrio ne gloriemur; neve nimirum ejus fidamus viribus, postquam libertatem sumus adepti. Liberi arbitrii nomen libertatem significat; & *Ubi spiritus Dei, ibi libertas* (2. Cor. 3.). Si ergo (inquit sanctus Augustinus de spirit. & lit. c. 13.) *servi sunt peccati, quid jactant de libero arbitrio? A quo enim quis deditus est, huic & servus additus est. Si autem liberati sunt, quid se jactant velut de opere proprio, & gloriantur quasi non acceperint?*

Homo igitur in hoc statu constitutus, nempe Jesu Christi gratia liberatus, Ethicæ Christianæ est *Subiectum*; ad illum siquidem hujusce disciplinæ præcepta pertinent. Hujus autem sanctorum cognoscere plane non possumus, nisi ejus noverimus infirmitatem; quæ ideo noscenda nobis est, ut medici & medicinæ necessitatem intelligamus. Duo nobis extrema sunt vitanda: ne hominem vel magis infirmum, vel sanum magis, quam revera sit, arbitremur. Si *nimium infirmum* credimus, ad bene agendum ineptum reddimus, & in desperationem conjicimus; si vero *nimis sanum* dicimus, superbum reddimus, & necessitatem medici, qui est Christus Jesus, excludimus. In horum extremorum unum lapsi sunt Manichæi; in alterum Pelagiani. Medium tenet Ecclesia, quæ veritatis est sedes: quod in homine restat, agnoscit Ecclesia, nec illi tribuit, quod amisit; hinc gratiæ Christi, & præceptorum fatetur necessitatem, ut antiquam homo innocentiam acquirat.

acquirat, quantum præsentis vitæ conditio patitur.

C A P U T II.

Concupiscentia omnium malorum origo describitur.

Originalis peccati acerbior & gravior pœna illa est, quam concupiscentiam, seu cupiditatem appellamus. Hæc pondus jure est, quod animam ad fruendum impellit creaturis, infimisque rebus, quibus corrumpitur. In innocentie statu pondus sentiebat Adam, quo in Deum ferebatur; ubi vero Dei præceptum violavit, ut suæ infidelitatis & ingratitude puniretur, ponderi alteri se subjecit, quo in sui, creaturarumque amorem deprimitur. Ajunt Theologi aliqui nil aliud esse concupiscentiam, quam sensitivum appetitum, & voluntatem, quoniam hæ duæ potentie, si gratia illas non attollat, pondere suo & gravitate perditæ in creaturas feruntur; vel concupiscentiam esse appetitus voluntatisque effrænum impetum, quo frui creaturis anhelant. Sanctus Augustinus existimat concupiscentiam esse harum ambarum potentiarum vitium, quod veluti vetus consuetudo hominem ad creata bona valide pertrahit. Id esse aut originale peccatum, cujus licet per Baptismum deleatur reatus: manet tamen actus; cujus scilicet ita deletur macula, ut corruptio maneat, quæ reos nos efficit, si ejus motibus assentimur. Hæc Magistri sententiarum est opinio, quam Theologi plures sequuntur, & quæ sacrarum Litterarum dictis inhæret; videntur enim sacræ Litteræ ita de originali pec-

eato loqui, quasi non sola illud esset justitiæ privatio. Sanctus Paulus Fideles sic monet: *Non regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus (Rom. 5.):* concupiscentia nempe est veluti habitus, cujus sunt actus desideria prava.

Plerique tamen docent Theologi, originale peccatum privationem esse originalis justitiæ. Tridentinum Concilium hanc quæstionem definire noluit; solum docet concupiscentiam in baptizatis non esse peccatum; concupiscentiæ scilicet involuntarios motus non esse peccata, ut docent hæretici.

Quoniam vero concupiscentia naturæ humanæ vitium est & corruptio, auctorem Deum nequit habere. Pelagiani, qui originale peccatum negabant, illam bonam, & a Deo in homine creatam asserbant. Sed valide hæc impietas a sancto Augustino est confutata, & ab Ecclesia damnata. Hanc legi Dei Sanctus Paulus opponit, dum ait: *Carne servio legi peccati, condecor legi Dei secundum interiorem hominem (Rom. 5. & 7.).* Sanctus vero Jacobus inquit: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde cum concupiscentia conceperit, parit peccatum (Jac. 1.).* Non suggestionem sola, vel tentationem ad peccatum nos hæc concupiscentia provocat, quemadmodum solet dæmon, & prava solent objecta; sed pondus quoddam in nobis est, quod suapte natura ad peccatum nos pertrahit. Mala quædam habitudo est, & consuetudo prava juxta Sanctum Augusti-

gustinum, qui ait: *Carnalis consuetudo resistit bonæ voluntati delectatione bonorum temporalium fruendorum.* Donec terreni hominis imaginem circumferimus, *habemus necessitatem consuetudinis nostræ; quotidie minui potest, finire non potest.* Concupiscentiæ objecta sunt terrena bona & creata, quæ possunt amari; uno verbo quidquid Deus non est: animæ affectus corporisque motus inficit, totumque veluti lues corrumpit hominem: potentias ejus omnes seducit, harmoniam turbat, rebellionem excitat, continuo bello exercet, justosque omnes gemere cogit. Non a persecutoribus suis, sed a concupiscentia liberari petit Apostolus: *Quis me liberabit a corpore mortis hujus (Rom. 7.)?* Sanctus Augustinus peccati vestigium illam sæpius appellat; nam malis, quæ animæ corporique affert, peccati naturam manifestat, a quo proficiscitur.

Concupiscentiam apostolus Paulus *peccati legem* dicit. Rationem affert Sanctus Augustinus: *Quia, inquit, persuadet peccata; Et ut ita dicam jubet.* Eandem peccatum (Rom. 6.) Apostolus appellat: *peccatum vocatur* (inquit idem Sanctus Doctor *de Nupt. l. 1. c. 23.*) *quod Et peccato facta est; Et peccatum, si vicerit, facit.* Nil aliud illa est, quam animæ motus, ut de se gaudeat, & de creaturis, non Dei, sed sui amore ducta. Porro hic creaturæ, sui que amor peccatorum omnium est origo; postquam enim Apostolus dixit (2. Tim. 3.) *Erunt homines seipso amantes; subdit: cupidi, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine*

affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum magis amatores, quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem abnegantes. Hæc etenim, ut inquit divus Augustinus, omnia mala ab eo velut fonte promanant, quod primum posuit seipsum amantes: hæc atque ejusmodi vitia, sive his alia, sive illis alia dominantur, ex illa radice quodammodo pullulant: cum sint homines seipsum amantes. Ad duobus hæc verbis eandem veritatem complexus erat Apostolus (1. Tim. 6.) *Radix malorum cupiditas.* Hoc inde provenit, quia nullum homo crimen patrat, nisi assentiens concupiscentiæ, qua vel de seipso, vel de creaturis aliis frui quærit. *Nec est aliunde vita hominum vitiosa atque culpabilis, quam male utens & male fruens,* inquit Sanctus Augustinus. *Fecerunt (idem Doctor ait l. II. de Civ. Dei c. 18.) civitates duos amores duo: terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei; cælestem vero amor Dei usque ad contemptum sui.* Alterutrius civis esse oportet. Cum peccatum sui ipsius amantem hominem efficiat, quasi beatus in seipso esse possit, tribus illum paupertatis generibus subjicit, quæ tribus bonis, quibus innocens fruebatur, opponuntur. Primum bonum erat incomparabilis altitudo, & sublimitas; amore enim homo soli Deo subdebatur, cunctasque sub se cernebat creaturas, quibus veluti subditis imperaret. Secundum bonum erat admirabile lumen, quo omnia intelligebat, cum ignorantia tenebris, quæ peccati sunt pœna, mens ejus careret. Tertium be-

bonum erat *cœlestis voluptatis* torrens, qui cor
ejus irrigabat, propter Dei, quo fruebatur,
presentiam, ut inquit sanctus Augustinus: *Ex
hoc amore grande gaudium, non desistente quod
amabatur ad fruendum.* Trium horum bono-
rum possessioni trium defectuum deploranda suc-
cessit egestas, quæ violenta quasi tria desideria par-
turit, quibus amissa bona recuperare homo pro
virili nititur. Primus defectus est *summa abje-
ctio*, in quam anima incidit; nam & suis passio-
nibus, & creaturis reliquis subjecta est. Hinc
ut se attollat, honores homo quærit, dignitates,
imperia, gloriam, laudes, existimationem. Ex
hoc fonte promanat ambitio, vanitas, fastus, te-
meritas, audacia, vis, crudelitas, & tyrannis.
Secundus defectus, quem homini peccatum at-
tulit, est *ignorantia*; hinc scire cupit, & curio-
sitate adeo sectatur, ut superstitionibus etiam
& magiæ se dedat. Tertius defectus est *tristitia*,
cui ut homo subveniat, voluptates ubique aucu-
pat, & gaudium, quo in amore veri boni frue-
batur; hinc carnalium voluptatum vitia & ex-
cessus proficiscuntur. Hæc doctrina a Sancto
Joanne est accepta, qui ait: *Omne, quod est in
mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscen-
tia oculorum, & superbia vitæ (1. Joan. 2.)*
*Omne quod est in mundo, in amatoribus scilicet
mundi, concupiscentia carnis est, quo sensibiles,
carnales, & terrenæ voluptates comprehenduntur;
& concupiscentia oculorum, quo curiositas, & im-
modicum omnia sciendi & possidendi desiderium
comprehenditur; & superbia vitæ, quo gloriæ &
imperii cupiditas declaratur; ut Sanctus Augu-*

stinus explicat. *Nego, ait, esse quemquam istorum, qui nihil colendum existimant, qui non aut carnalibus gaudiis subditus sit, aut potentiam venenam foveat, aut aliquo spectaculo delectatus insaniat (de vera Relig. cap. 38.).*

C A P U T III.

Concupiscentiæ pessimi recensentur effectus.

Qui a venenato fonte promanant, venenatos esse rivos oportet. Generale concupiscentia est venenum, quo genus humanum corrumpitur; singuli enim homines (si Sanctam Virginem excipias) originali peccato infecti nascuntur. Peccati hujusce pœna & effectus est concupiscentia, quod in baptizatis manet, non quoad culpam, quæ deletur, sed quoad pœnam, quæ perseverat. Pessimi sunt illius effectus, quorum octo præcipue licet enumerare.

Primus est *veræ cordis libertatis amissio*, quæ creaturarum amore perit, cum rei amatae amantem suapte natura amor subdat. Quando Deum homo diligit, creata cuncta ei subduntur; quando vero seipsum, aut creata bona amat, creaturis ac sibi metipso subditur. *Quæ cum volunt homines (inquit sanctus Augustinus de Moribus, Eccles. c. 21. & 13.) per damnationem tenere, ab his ipsis potius per cupiditatem tenentur, & rerum mortalium servi fiunt, dum imperite domini esse desiderant; non quod Deus ista non creaverit, sed quia subdicere se homines volunt iis rebus per*
pec-

peccata, quæ illis per recte facta divina lege sub-
jectæ sunt. Hinc pariter evenit, ut homo pra-
vo hoc amore plenus rectum nequeat de rebus
ferre iudicium; hoc enim iudicem exigit, cui
res iudicanda subiecta sit, iste vero amor ani-
mam creaturæ subdit, quæ inordinate diligitur.
Explicans idem Pater hunc secundi Psalmi versi-
culum: *Erudimini qui iudicatis terram*; ait:
Spirituales significat, qui ut reges iudicant terram.
Inferius enim nobis est quidquid iudicamus: quid-
quid autem infra spiritalem hominem est, merito
terra nominatur, quia terrena labe sauciatum est.
Nec ita tamen ut amatores speciei insimæ inhæ-
reamus, sed ut Dei laudatores eam transgredia-
mur, ut supra eam collocati de ea iudicemus, non
ei connexi cum illa iudicemur.

Secundus amoris erga creaturam effectus est
hominem rei amatæ non modo similem reddere,
terrenum sicut creatura terrena est, corruptum,
sicut illa est corrupta; sed idem quodammodo
cum re amata. *Anima*, inquit sanctus Augusti-
nus, *quodammodo corporascit defectivo appetitu.*
(*contra Secund. c. 12.*) Propterea Fideles ita mo-
net Apostolus: *Nolite conformari huic sæculo,*
(*Rom. 12.*) id est: *Nolite mundum diligere, quia*
hic amor Christianum mundanum efficit, & sæculi
hominem. Qui adhæret Domino, unus spiritus
est: qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur.
(*1. Cor. 6.*) Denique ait sanctus Augustinus:
Talis est quisque, qualis ejus dilectio est. Ter-
ram diligis, terra eris: Deum diligis, quid di-
eam? Deus eris (*Tract. 2. in ep. Joan.*).

Tertius amoris erga creaturam effectus est *objecto amato animam unire ac veluti conglutinare* ita, ut cum principio liber hic amor fuerit & voluntarius, necessarius postea, coactus, & tyrannicus evadat. *Quisquis*, ait Sanctus noster Doctor, *dilexerit Deum & proximum, animam habet pennatam, liberis alis, sancto amore volentem ad Dominum. Quicumque implicatur amore carnali, viscum habet in pennis.* In suis inordinatis amoribus id sentiunt peccatores: sub ambitionis, avaritiæ, fastus, iræ, impuditiæ tyrannide gemunt. *Ligantur*, ut ante suam conversionem de se agebat S. Augustinus: *Non seruo, sed, jerrea voluntate. Etiam nescientem onerat, quod non sentiet, nisi cum surgere voluerit: atque utinam non sic alligentur & crura, ut frustra etiam humeros conetur excutere (lib. 8. Conf. c. 1.).*

Quartus amoris erga creaturam effectus est *dolor*, qui ex rei amatae jactura proficiscitur. Id docet sanctus Augustinus inquiring: *Non est in carendo difficultas, nisi cum est in habendo cupiditas. Quid est dolor, qui dicitur animi, nisi carere mutabilibus rebus, quibus fruebatur, aut frui se posse speraverat (lib. 3. de Doctr. Christ. c. 18.).* Hinc lamenta proveniunt, gemitus, furor, blasphemiarum, ceterique excessus in mariti amissione, aut conjugis, filiorum, dignitatum, vel aliarum rerum, quæ male amantur. Quamobrem magnus idem Sanctus jure dixit: *Miser eram, & miser est omnis animus vinctus amicitia rerum mortalium, & dilaniatur cum*
eas

eas amittit, & tunc sentit miseriam, quæ nihil est antequam amittat eas.

Quintus effectus est animi *instabilitas*, quæ ex creaturarum amore oritur; cum enim sint illæ ex nihilo creatæ, sunt necessario mutabiles, nec diu in eodem statu permanent. Quare hæc animus amans cum illis mutatur: nunc tristis, mox lætus, modo timet, modo sperat, nunc zelo, nunc ira plenus, modo gaudet, mox mæret, & lamentatur; ex una in aliam passionem transit, ex ambitione in avaritiam, ex avaritia in luxum, ex curiositate in impudicitiam. *Ita est, ait sanctus Augustinus, quasi fluvius ducat in fluvium, ut non sit finis miseræ, quamdiu finis officiorum nostrorum in re instabili collocatur. In aliquo igitur firmo atque incommutabili bono te figere volumus constantissimæ intentionis domum, & securissimam requiem omnis bonæ atque honestæ actionis tuæ.*

Sextus amoris erga creaturam effectus est *labes*, qua anima inficitur. In animam res amata per amorem intrat, illique unitur; quæ si animæ sit inferior, illam fœdat. *Sordescit aliquid, inquit Sanctus Augustinus, cum inferiori misceatur naturæ, quamvis in suo genere non sordidetur, quia etiam de puro argento sordidatur aurum si misceatur: ita & animus noster terrenorum cupiditate sordescit, quamvis ipsa terra in suo genere atque ordine munda sit (lib. 1. de Serm. Domini in monte).* Quoniam seipsum amat, non quod corporali ulla impudicitia inquinetur, immundus spiritus diabolus appellatur.

Septi-

Septimus erga creaturam amoris effectus est *cæcitas*, quæ hinc oritur: graves putidosque hic amor vapores exhalat, quibus mens obtenebratur, ut jam nec divinas, nec naturales veritates possit agnoscere, neque id ipsum quod amat: *Deus*: ait sanctus Augustinus, *indefatigabili lege spargit pœnales cæcitates super illicitas cupiditates*. Ab hoc fonte promanant errores, in quos labuntur ambitiosi, avari, superbi, ultores, impudici contra proximum, amicos, consanguineos, rempublicam, seipsum; ne de summa loquamur cæcitate, qua temporalem & caducam voluptatem æternæ ac cœlesti anteponunt.

Postremus amoris erga creaturas effectus est *bonum rerum usum impedire*. Ut bene rebus utamur, necesse est ab illis nos posse abstinere, si providentiæ ordo id exigat. Sed qui pravo aliquid amore prosequitur, hoc præstare nequit, rebusque (ut verius loquamur) non *utitur*, sed *fruitur*, omnemque sibi voluptas amorem vindicat. Hinc sanctus Paulus Fideles monet: *Et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur*: (1. Cor. 7.) quam sententiam sic exponit sanctus Augustinus: *Quid sit, quasi non utantur, nisi non diligant, quo utuntur?* (lib. 5. contra Julian.) Creatis enim licitisque rebus juxta eundem nemo potest sapienter uti, nisi qui potest & continenter non uti. Ut hisce sapienter utamur, ejusdem usus limites finemque noscamus oportet, quod pravus rerum amor videre non sinit, ita ut limites semper prætergrediamur, cum terrenis spiritus adhæret. Quamobrem ait Augustinus:

stinus: Non eis amore conglutinetur, neque velut membra sui animi faciat, quod fit amando, nec cum ressecari cœperint, cum cruciatu ac tabe fœdent; sed eis totus superferatur, & habere illa atque regere, cum opus est, paratus, & amittere, ac non habere paratior (lib. 2. de lib. arbitr. cap. 15.)

CAPUT IV.

Ostenditur numquam licitum esse Concupiscentiæ motibus assentiri.

Mali concupiscentiæ, seu erga creaturas amoris effectus, quos enumeravimus, rationes subministrant, ut Scholæ loquuntur, a posteriori, quibus ostenditur licitum numquam esse concupiscentiæ motibus assentiri, illosque sequi; verum eadem veritas a priori etiam validis argumentis demonstratur.

Deus hominem condens in numero, mensura, & pondere illum creavit, quemadmodum & creaturas reliquas, id est locum, quem obtinebat, illi tribuit, ejus potentias est moderatus, naturalemque illi instinctum indidit, ut centrum quæreret, in quo quiesceret: sub se illum posuit, superiorem pure corporeis creaturis constituit, & intelligentibus creaturis reliquis, scilicet Angelis, parem fecit; sibi veluti Domino inferiorem collocavit, corporeis creaturis veluti subditis superiorem, Angelis veluti sociis æqualem. Æternus hic ordo & immutabilis a Deo est constitutus, quem nisi contra naturam suam agat,

agat,

agat, turbare homo non potest. Ad Deum igitur suum veluti principium, ultimumque finem pergere unice debet, cujus fruitione solum beatus esse potest; nequit enim beatitudinem consequi, nisi bonum supra se positum, videlicet Deum acquirat. Ut ad hoc perveniat bonum, pondere indiget, quo feratur, hocque pondus est amor, ait Augustinus: *Amor meus pondus meum; illo feror, quocumque feror* (lib. 13. *Confess. cap. 9.*). Pondus esse concupiscentiam negare non possumus, quo non in Deum, sed in nos ipsos, aut in creaturas ferimur. Illam propterea sequi non possumus, quin æternam immutabilemque Dei legem violemus, humanæque naturæ ordinem ea invertat. Elementum quodlibet pondere suo ad centrum fertur, ad superiora ignis, terra ad ima; illorum nullum hunc præterit ordinem, nisi vi superiori agatur, ut Deo obediat, aut nisi exterioris aliqujus agentis insolitam vim patiatur; inquietum vero jugiter est, donec ad naturam suam redeat; in antiquum secus chaos mundus laberetur, & periret. Cum ad Deum homo veluti ad centrum pergit, ordinem suum tenet, suamque servat integritatem; sed si in seipso, aut in creatura aliqua velit quiescere, ecce in homine turbatio, & confusio. *Vides, inquit Sanctus Augustinus, in ista distributione naturam quid summe sit, quid infime, & tamen sit quid medie, majusque infimo, & minus summo sit. Summum illud est beatitas: infimum, quod nec beatum esse potest, nec miserum; quod vero medium (homo scilicet) vivit inclinatione ad infimum misere, conversione ad*

Ostendit. numq. licit. esse Conc. &c. III

ad summum beate vivit. Qui Christo credit, non diligit infimum, nec superbit in medio (epist. 65.). Pulchrius nil aut illustrius dici potest, ut declaretur ordo, in quo fuit homo a Deo conditus, & quo suam ipse felicitatem debet exquirere.

Dum creaturam homo diligit, se deprimat, ac minor evadit, quam a Deo est conditus; nam amore suo creaturæ se subjicit, cui naturæ suæ dignitate supereminet, ideoque in nihilum labitur, & nihilum ipse fit. Propterea, inquit Augustinus, nihil sunt quæ facta sunt, cum superiora ad inferiora declinant, ubi est omne peccatum, & omne quod dicitur malum (contra Secundin. cap. 10.). Numquam Christiano licet, nec licere potest, ad inferiora declinare, & in nihilum tendere. Hoc creatura omnis naturaliter fugit, omnique nisu vitare conatur. Quando Lucifer non in Deum ferri, sed in seipso manere maluit, minor effectus est, & dæmon evasit, & quando ab altiore loco lapsus est, tanto profundius in nihilum decidit. Quando enim quæque res minus est, tanto vicinior nihilo est. Cum autem isti defectus sunt, recte reprehenduntur, & peccata nominantur.

Duobus modis summum homo bonum deserit, ut creato bono adhæreat. Aut enim cor hominis in Creatoris vel creaturæ electione ita est paratum, ut Deum sciens ac lubens deserat, & creaturæ adhærere malit; aut actu nec recogitans Deum derelinquit, creaturæ adhærens, quin tamen illam Creatori præferat, paratum alioquin, si

si alterutrum esset deserendum, præ creato bono increatum numquam bonum deserere. Qui primo modo agit, mortaliter peccat; qui vero altero modo agit, peccat solum venialiter. Hinc peccatum quodlibet est hominis a Creatore aversio, & ad creaturam conversio: in mortali peccato id omnino evenit, in veniali evenit imperfecte; sed in veniali etiam adest aliqua ad creaturam conversio, quæ numquam est licita, quamvis magna vel parva existat. Dei lex immutabilis jubet, ut homo semper & ubique in Deum tanquam in finem suum ultimum feratur, & in ipso dumtaxat quiescat, ut sæpius diximus. Hæc lex nec in re levi absque peccato violari potest; quæ enim fornicationem lex prohibet, eadem & officiosum mendacium verat. Quapropter inquit sanctus Augustinus: *Neque itaque potest convincere aliquando esse mentiendum, nisi qui potuerit ostendere æternum aliquod bonum obtineri posse mendacio: sed cum tanto quisque ab æternitate discedat, quanto a veritate discordat, absurdissimum est dicere, discedendo inde posse ad boni aliquid aliquem pervenire. Aut si est aliquod bonum æternum, quod non complectatur veritas, non erit verum, & ideo nec bonum erit, quia falsum erit. Ut autem animus corpori, ita etiam veritas ipsi animo præponenda est, ut eam non solum magis quam corpus, sed etiam magis quam seipsum appetat animus. Ita quippe erit integrior & castior, cum ejus potius immutabilitate, quam sua mutabilitate perfruetur (De Mendacio cap. 7.).* In eadem sunt sententia sanctus Thomas ejusque Discipuli; solum in loquendi modo differunt. Certum igitur

tur est in peccato quolibet aliquam de creatura delectationem reperiri, hancque delectationem malam semper esse, quia *uti creatura, non frui debet homo; nec est aliunde vita hominum vitiosa atque culpabilis, quam male utens & male fruens.* Hæc est rationalis hominis felicitas, in Deum ferri, illum ut finem suum colere, nec sine illo beatum esse posse. Quomodo igitur absque peccato potest hæc bona recusare? *Propterea, inquit Augustinus, corporea diligendo peccamus, quia spiritualia diligere & iustitia debemus, & natura possumus, & tunc in nostro genere optimi & beatissimi sumus (De Duab. animabus cap. 13.).*

CAPUT V.

Sensuum oblectamentis, etiam moderate, ob solam voluptatem frui inhonestum est.

Pelagiani, qui originale peccatum negabant, malam esse concupiscentiam pariter negabant, nullumque motibus eius assentiendo peccatum committi docebant. Ex malo principio malam illos consequentiam traxisse non miror; sed merito mirandum existimo quosdam Recentiores docere, si quis modeste ac moderate creaturis, honoribus, laudibus, gloria, dominatione, & licitis sensuum voluptatibus utatur, posse hæc licite propter seipsa amari, quin ad alium finem referantur (a).

Evi-

(a) Quantum hi Moralistæ a vero aberrarint, Innocentius XI. manifestum fecit istam n. 9. configens propositionem: *Opus conjugii ob solam voluptatem*
Godeau Theol. Mor. Pars I. H tem

Evidenter jam demonstravimus, homini non licere creatura ulla frui propter ipsam. Quis non videat rem, qua utimur, ad alium finem non referre, sed ea propter ipsam uti, idem esse ac illa frui? fruitio etenim est rei alicujus propter ipsam possessio. Honores, primi accubitus, hominumque laudes res bonæ sunt; attramen Dominus Phariseos arguit, qui hæc amabant: *Amant primos accubitus in cænis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi (Matth. 23.)*. Quare propter horum amorem reprehenduntur? ideo quia amando peccabant; ideo quia propter ipsa hæc amabant, his adhærebant, nec referebant ad alium finem. *Non quia, inquit sanctus Augustinus, illa accipiunt; sed quia diligunt, sic eos cor eorum accusavit.*

Peccati originalis reatum, æternamque penam penitus aufert Baptisma; nihilominus solvitur reatus, sed manet infirmitas; solvitur per indulgentiam, quia tenebat in noxa; conteritur per continentiam, ne vincat in pugna. Agitur itaque ne obsit; donec ita vincatur ut non sit. Ita sanctus Augustinus Pelagianis respondebat, qui illum accusabant, quasi doceret hominem in Baptisma-

tem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali. Huic affines sunt aliæ laxissimæ de Tactus, Gustus &c. oblectamentis a variis propugnatae propositiones, quas locis propriis indigabimus. Sed nunquid periculosa ista praxis subti illi Theoriæ est superstructa; quæ multas actiones humanas, seu deliberatas in individuo moraliter indifferentes tuetur?

primam perfectam originalis peccati remissionem non recipere. In Scholis post illum dicimus concupiscentiam reatu transire, actu remanere; idest deleri culpam, manere infirmitatem. Hæc proprie est hominis corruptio, quæ ab Adami peccato in eum promanat; hæc illi, dum in mundo degit, *relinquitur ad agonem* (*Conc. Trident. sess. 5.*) Hanc sanctus Paulus (*Rom. 9.*) peccati *legem* appellat, quæ legi spiritus repugnat: propter hanc ille ait, se malum agere, quod non vult, nec quod vult, bonum agere: hæc meliora nostra bona potest corrumpere, secreta nec cognita amoris proprii mixtione: hæc omnes homines peccatores facit, ita ut nemo in mundo sine peccato vixerit, si sanctam Virginem excipias; quam ab hac universali regula excipit sanctus Augustinus.

Si quis dixerit concupiscentiam sensitivi appetitus motum esse, hujusce appetitus motus esse naturales, ideo concupiscentiam naturalem esse, nec ejus motibus obtemperantem peccare; passionem enim evellendam non sunt, sed moderandam, cum moderatas virtus non averferur, sed immoderatas dumtaxat fugiat: Respondeo passionem naturalem esse, non concupiscentiam, quam modo patimur, ea siquidem sensitivi appetitus motus effrænis est, quo ad creata & mutabilia bona ferimur. Quamobrem non est virtutis munus efficere, ut voluptas, seu creata bona propter seipsa amari possint; sed prohibere, ne passionem extrarationis limites animam pertrahant, illasque moderari. Virtus enim naturalem a Deo statum ordinem

dinem turbare recusat, atque hic ordo creaturae propter ipsam amorem damnat; ratio media, finemque disponit: bonum est finis hominis, & finis est mediorum regula.

Hominis bonum non est voluptatis fructus propter voluptatem, sed propter aliquam vitam necessitatem, quam veluti finem suum respicit. Voluptate igitur uti solum debet propter hunc finem, veluti medio ad illum assequendum; naturæque ordinem invertit, si illa ut sine utatur. *Habet vir temperans, ait sanctus Augustinus, in hujusmodi rebus mortalibus & fluentibus vitæ regulam utroque Testamento firmatam, ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem quantum satis est usurpet, utentis modestia, non amantis affectu (De Morib. Eccl. Cap. 21.).* Non est itaque unice considerandum, an, quæ amamus bona sint, vel indifferentia; res siquidem bona amore non bono potest amari; neque opus est ut rei circumstantia aliqua adnexa sit, quæ malum errorem efficiat; satis est conditionem abesse, quæ bonus reddatur. Hæc vero conditio ea est, ut res propter illum finem amentur, ad quem ordinantur. En quomodo sanctus Augustinus loquitur: *Cum anima sit ipsa corpore superior, Deumque habeat se superiorem, quamvis in ordine suo natura corporis bona sit, peccat tamen anima, & peccando fit mala, si consensionem dilectionis, quam superiori Deo debet, inferiori corpori adjungat.* Hanc vero sanctus Doctor generalem regulam tradit: *His bonis, quæ propter aliud necessario*

cessaria sunt, qui non ad hoc, propter quod instituta sunt, utitur, peccat, alias venialiter, alias damnabiliter. Non hinc sequitur, sensitivum appetitum, quo ad creaturas trahimur, malum esse, licet mala sit concupiscentia; nam ideo sensibilibus rebus appetitus sensitivus adhæret, quia corporeus est, neque altius attolli potest: sed cum superior hominis pars, id est anima, inferiori parti obtemperat, creaturisque fruitur, quibus solum est utendum, mala evadit. Dum oculus ruptam virgam in aqua videt, non oculi hoc vitium est, cum propter mediæ refractionem objectum aliter videre non possit; at intellectus erraret, si idem crederet; debet enim ille sensum corrigere.

Verum, dicit aliquis, nonne voluptates aliæ sunt vitæ, aliæ permissæ? Ita profecto est; sed non hinc sequitur voluptatem propter seipsam amari posse. Hac distinctione solum evincitur res quasdam illicitas esse, aliasque licitas, quibus adnexa voluptas, & quibus sine voluptate aliqua uti non possumus; sed ad finem illum hæc est referenda voluptas, propter quem illam hisce rebus natura copulavit. Sic sine voluptate aliqua nec manducare, nec bibere possumus, quando suo sensus funguntur officio; verum neque manducare, neque bibere propter illam debemus, sed propter vitæ solum necessitatem, quæ sine alimentis conservari nequit. *Hoc me docuisti, inquit sanctus Augustinus, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis & indigentiae molestia*

transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus
 concupiscentiæ. Ipse enim transitus voluptas est.
 Et non est alius qua transeat, quam quo transi-
 re cogit necessitas. Et cum sit causa edendi et bibendi,
 adjungit se tamquam pedissequa periculo-
 jucunditas, et plerumque præire conatur, ut ejus
 causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico,
 vel volo. Nec idem modus utriusque est. Nam
 quod saluti satis est, delectationi parum est; et
 sæpe incertum fit, utrum adhuc necessaria corporis
 cura subsidium petat, an voluptaria cupiditatis
 fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum
 hilarescit infelix anima, et in eo præparat excu-
 sationis patrocinium, gaudens non apparere quid
 satis sit moderationi valetudinis, ut obtentu salu-
 tis obumbret negotium voluptatis. (Lib. 10. Con-
 fess.) Nil istis sancti Doctoris verbis pulchrius,
 verius, nec Christiano dignius potest excogitari.
 Quid quæso dixisset, si ævo suo Africae Doctores
 docuissent, licitum esse edere ad satietatem, sine
 necessitate, ob solam voluptatem, dummodo sa-
 nitas non lædatur; non magis in gustus voluptate
 quærenda peccari, quam si visus vel odoratus
 voluptas quæretur; & absque peccato sensuum
 voluptatem propter seipsam quæri posse? Nonne
 idem illis dixisset, quod Juliano respondit:
*Puto quod ipsum librorum vestrorum atramentum
 erubescendo convertitur in nimium?* Docebant
 quidem Pelagiani, licitum esse concupiscentiæ
 motibus assentiri, sed concupiscentiam malam esse
 negabant, & naturalem credebant, quoniam ori-
 ginale peccatum inficiabantur; at Catholici omnes
 malam esse illam fatentur, cui propterea sine pec-

peccato obtemperare non possumus. Hominis felicitatem in voluptate Epicurus collocabat, sed honesta erat illa voluptas, & spiritalis potius quam corporea; quamvis suæ ætatis Philosophi fecus illum sint interpretati, ut ejus sententiæ infamiam, erroremque conciliarent. Vitæ austeritate doctrinam suam confirmabat, & adeo a potus, cibique nimietate temperabat, ut vix necessaria sumeret.

CAPUT VI.

Idem continuatur Argumentum.

Ut concupiscentiæ naturam perspicue magis explicemus, sensuum distinguendæ sunt vivacitas, necessitas, utilitas, & voluptas.

Sensuum *vivacitas* ex corporis, sensuique inservientium organorum constitutione oritur. Exquisitam magis biliosi, & sanguine abundantes habent, quam phlegmatici & melancholici; atque hæc naturalis res est, nec bona, nec mala.

Sensuum *necessitas* est generalis; necessario enim sensus quilibet, si apte ejus organa sint disposita, objectum suum percipit, & cognoscit, oculus videt, auris audit, odoratus olfacit, gustus cibos distinguit, tactusque durum a molli discernit.

Sensuum *utilitas* ad hominis bonum, conservationemque pertinet, qui ut vivat, suorum sensuum actione indiget.

At sensuum *voluptas* a reliquis eorum qualitatibus longe distat; est enim hæc animi titillatio,

& secreta prurigo, qua carnalis voluptatis appetitu & desiderio ad sentiendum impellimur, sive illi assentiamur, sive repugnemus. Voluptas hæc sensus omnes inquinat: oculos ad pulchra objecta quælibet videnda excitat, licet periculosa ac prohibita; aures ad sonos audiendos propter audiendi voluptatem; nares ad odores captandos, propter solam olfaciendi voluptatem; gustum ad id manducandum & bibendum, quod placet, non quod necessarium sit, & proffit; tactum ad carnales actiones non necessarias neque utiles, sed propter solam sensibilem delectationem; uno verbo variis hisce creaturis fruamur, & in illis quiescamus.

Sensuum igitur vivacitas, necessitas, vel utilitas in Christiano non reprehenditur; sed sola voluptas, cupiditas, delectatio objectorum sensibilium, quæ naturalem suum finem & Deum, ut diximus, non respicit. Voluptas hæc in licitis quoque rebus est generalis tentatio, quæ Sanctos etiam vexat, & angit, cogitque lacrymis & gemitibus Deum exorare, ut peccata ob eandem commissa dimittat. De hujusmodi peccatis, quæ plerique hodie parvipendunt, & recentiores quidam Casuistæ peccata esse negant, adeo erat sollicitus sanctus Augustinus, ut se accuset, dum Psalmum cantari audiret, pulchra canentis voce magis, quam sacri carminis mysteriis delectatum fuisse. *Cum mihi accidit, inquit, ut me amplius cantus, quam res, quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem. Ecce ubi sum, flete mecum, & pro me*

me flete, qui aliquid boni vobiscum intus agitis, unde facta procedunt; nam qui non agitis, non vos hæc movent (Lib. 10. Confess. Cap. 33.). Eodem se rigore examinat circa aliorum sensuum voluptates, præcipue vero circa visum. Ipsa regina colorum, ait, lux ista perfundens cuncta quæ cernimus, ubi per diem fuero, multimodo allapsu blanditur mihi aliud agenti, & eum non advertenti: insinuat autem se ita vehementer, ut si repente subtrahatur, cum desiderio requiratur, & si diu absit, contristet animum. O lux, quam videbat Tobias, cum clausis oculis istis filium docebat vitæ viam, & ei præibat pede caritatis nusquam errans . . . ipsa est lux, una est, & unum omnes, qui vident, & amant eam. At ista corporalis, de qua loquebar, illecebrosa ac perniciosa dulcedine condit vitam sæculi cæcis amatoribus. Qui autem & de ipsa laudare te norunt, Deus creator omnium, assumunt eam in hymno tuo, non absumuntur ab ea in somno suo: sic esse cupio. (Ibid. Cap. 34.) Aut pusillanimis valde & scrupulosus sanctus Augustinus est dicendus, quod de tam illuminato & solido ingenio dicere nefas, dum a Deo veniam petit de voluptate, quam, dulcem audiendo vocem, aut splendidi diei videndo lucem, pulchraque alia objecta, hausit; vel turpiter falli, & a conscientia puritate, qua magnus iste Sanctus fulgebat, longe distare dicendi sunt Casuistæ, qui omnibus sensuum delectationibus ob solam voluptatem frui permittunt. Verum tutius profecto est sancti Augustini sententiam sequi, quam novos istos Casuistas sectari, qui Augustini nec pietatem, nec doctrinam habent.


bent. Hinc facile intelligimus, quodnam ferre debeamus iudicium de palatiis, ædibus, viridariis, magnificis suppellectilibus, aulæis, cæteroque apparatu, quem in orbem luxus invexit; et de istis alibi differemus. Sed hic præterire nequeo pulchra hæc magni nostri Doctoris verba: *Quam innumerabilia variis artibus & opificiis in vestibulis, calceamentis, vasis, & huiusmodi fabricationibus, picturis etiam, diversisque sigmentis, atque his usum necessarium, atque moderatum & piam significationem longe transgredientibus, addiderunt homines ad illecebras oculorum, foras sequentes quod faciunt, intus relinquentes a quo facti sunt, & exterminantes quod facti sunt.* At ego, Deus meus, & decus meum, etiam hinc tibi dico hymnum, & sacris laudem sanctificatori meo, quoniam pulchra trajecta per animas in manus artificiosas ab illa pulchritudine veniunt, quæ super animas est, cui suspirat anima mea die ac nocte; sed pulchritudinum exteriorum operadores & sectatores inde trahunt approbandi modum, non autem inde trahunt utendi modum; & ibi est, & non vident eum, ut non eant longius, & fortitudinem suam ad te custodiant, nec eam spargant in deliciosas lassitudines. Ego autem hæc loquens atque discernens etiam istis pulchris gressum innecto: sed tu evellis, Domine, evellis tu, quoniam misericordia tua ante oculos meos est. Nam & ego capior miserabiliter, & tu evellis misericorditer aliquando non sentientem, quia suspensus incidam, aliquando cum dolore, quia jam in hæseram. Solus Augustinus tam mire loquitur, & minimas quoque conscientia suæ fibras scrutatur.

At

At quid ultra Sanctorum Patrum auctoritate indigemus? Sacrarum Litterarum nobis occurrit auctoritas, quam rationabilis glossa nulla infirmare potest. Ait Sapia: *Inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum* (Sap. 4.). Ecclesiasticus inquit: *Post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere. Aufer a me concupiscentias* (Eccles. 18. & 19.). Sanctus Joannes in prima sua epistola dicit: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo* (1. Joan. 2.) Christianis verat hisce verbis quæcumque in mundo sunt diligere; neque immoderate solum amare verat; sed ait: *Nolite diligere*, idest ne illis adhæreatis. Apostolus Paulus Fideles omnes ita admonet: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, ut non obediatis concupiscentiis ejus* (Rom. 6.); & rursus: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis suis* (Galat. 5.), ne carnis voluptates, vel carnales seu terrenas spiritus delectationes requirant. Sanctus Jacobus ait: *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem* (Cap. 1.). Concupiscentiam veluti scæmiaam repræsentat, quæ ex viri unione, idest ex suo consensu concipit: fructus, quem concipit, est peccatum: consummatum vero peccatum, cum opere completur; hæc autem generatio peccatricis animæ morte, quæ inde evenit, misere finitur. In concupiscentia itaque plures sunt gradus: primus est *tentatio*, quæ non est peccatum; secundus est *imperfectus consensus*; tertius est *consensus absolutus*; quartus est *opus exterius*; quintus est *mors*

mors æterna, quam peccatum affert: *Stipendium peccati mors (Rom. 6.).*

Difficilem hanc concupiscentiæ resistendi regulam forte quis dicer; sed illi solum est difficilis, qui Christianismi & Evangelii spiritu caret, quo sui ipsius abnegatio præcipitur. Qui Deum diligit, mundum contemnit: qui se in Baptismate mundo & pompis ejus renunciasse serio considerat, haud ægre suis stat. promissis, & visibilibus renunciat. *Et nobis vocatis a Christo visibilibus delectatio minuitur, & invisibilium amor homo interior recreatus ad interiorem lucem, quæ nunquam occidit, revertatur, secundum Apostolicam disciplinam non quærens quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna.*



SECTIO II.

DE

CARITATE, TAMQUAM PRIMO
MORALIS CHRISTIANÆ
FUNDAMENTO.

CAPUT I.

*Caritas christianarum actionum Regula
esse debet.*

Quæ hætenus diximus, ostendunt non licere Christiano ex cupiditate operari, neque concupiscentiæ in re ulla assentiri, nimirum creatura

tura aliqua oblectari. Restat igitur ut Christianus ex caritate agat. De caritate id affirmans, non de perfecta caritate loquor, ita ut hanc bonis operibus necessariam existimem; hæc siquidem propositio damnata fuit (a). Verum id affirmo, opus vere meritorium non existere, nisi illi aliquis amoris Dei gradus sit adjunctus.

In hoc a Moysis lege Evangelii lex differt, quod illa timoris lex erat, hæc vero lex est amoris. Jesus Christus, qui Evangelii legem condidit, ait: *In his duobus mandatis (nempe Dei amore & proximi) universa lex pendet, & Prophetæ (Matth. 22.).* Sanctus Paulus ait: *Plenitudo legis dilectio (Rom. 13.). Omnis lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum (Galat. 5.). Qui diligit Dominum, legem implevit (Rom. 13.).* Hæ loquendi rationes nos admonent, quidquid præcipitur, aut vetatur, ad duplex spectare præceptum, Dei videlicet amandi & proximi: quare nostrarum actionum omnium principium, causa, & finis caritas

(a) Actum Caritatis influxu destitutum adhuc posse morali bonitate præditum esse Concilium Constant. contra Joannem Hus Sess. 15. definiit. Asserenti, *omnia opera, quæ ante justificationem fiunt, vere esse peccata &c.* Concilium Trid. Sess. 6. Can. 7. anathema dixit. Bonitas moralis naturalis a supernaturali actus vigore caute est distinguenda. *Bonitatem moralem naturalem actus ab objecto, & circumstantiis accipit: vigorem supernaturalem, seu rationem meriti, Caritatis influxui debet.* Peccator, Caritate exutus, adhuc *bene, ac honeste agere; nihil tamen pro vita æterna mereri potest.*

ritas esse debet. Quidquid Dei lege prohibemur, (inquit Sanctus Augustinus de *Perf. just. c. 5.*) & quidquid jubemur facere, ad hoc prohibemur, & jubemur, ut duo ista compleamus: imo tota Scriptura, adeoque Dei cum hominibus providentia, non aliud spectat. Hinc præcepta omnia proprie loquendo unum præceptum sunt; illud namque amandi Deum, præceptum amandi proximum, omniaque Christianis tradita præcepta complectitur. Quamobrem ait Apostolus: *Omnia opera vestra in caritate fiant (1. Cor. 16.). Super omnia caritatem habete, quod est vinculum perfectionis (Coloss. 3.). Finis præcepti est caritas (1. Tim. 1.). Ante omnia, inquit Sanctus Petrus, mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum (1. Petr. 4.).* Magnam hanc veritatem præ reliquis Sanctis Patribus melius sanctus Augustinus declaravit, caritatem nempe complementum esse, compendium, vim Evangelii, virtutesque reliquas a caritate perfectionem accipere, & juxta singularum naturam & effectus cum caritate communicare. *Et ut generaliter, inquit ille, breviterque complectar, quam de virtute habeam notionem, quod ad recte vivendum attinet, virtus est caritas, qua id, quod diligendum est, diligitur: hæc in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est (de Morib. Eccl. c. 6. & ep. 29.).* Felices tunc & beati erimus, si Deo adhæreamus, *cujus unius anima rationalis incorporeo, si dici potest, amplexu veris fœcundatur virtutibus: ad hoc bonum debemus & a quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere.*

Sic

Sic complentur duo illa praecepta, in quibus tota
lex pendet, & Prophetæ. In hac vita virtus
non est, nisi diligere quod diligendum est. Quid
autem eligamus quod præcipue diligamus; nisi
quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est, cui
si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus,
nos ipsos diligere nescimus. Tanto enim nobis
melius est, quanto magis in illum imus, quo nihil
melius est; imus autem non ambulando, sed aman-
do (epist. 52. ad Macedon.). En primum axio-
ma, ex quo elicit, nil aliud esse virtutem, quam
Dei amorem, nempe diligere quod diligendum
est; nam Virtus nihil aliud est, quam ordo amo-
ris. Satis jam probavimus, Deum unice prop-
ter seipsum ab homine esse amandum, quoniam
solus Deus est bonum, quo homo beatus effici-
tur, non creatura, quæ bonum est inferius.

Alterum Ethicæ Christianæ axioma est, sic
a Christiano bona opera esse facienda, videlicet
coaptando animum illis incommutabilibus regulis
luminibusque virtutum, quæ incorruptibiliter vi-
vunt in ipsa veritate sapientiaque communi, qui-
bus & ille coaptavit & fixit animum, quem istis
virtutibus præditum sibi ad imitandum proposuit;
& in hanc legem, veluti in speculum perspicien-
do, ut quid sibi agendum sit, videat. Amore
hanc legem debet amplecti. Hoc qui sobria di-
scretione eligit, prudens est: qui nulla hinc affli-
ctione avertitur, fortis est: qui nulla alia delecta-
tione, temperans est; qui nulla elatione, justus
est; his scilicet regulis luminibusque coaptando,
quæ vivunt in ipsa veritate sapientiaque, quæ
Deus

Deus est. Rationalis creatura ita est condita ut ipsa sibi beatitudo esse non possit; sed conversione ad immutabile bonum beatam fieri oportet; si ab eo avertitur, erit misera: ejus ab hoc bono aversio est peccatum, virtus est ad illud conversio; *ad hoc se igitur animus convertit, ut bonus sit, a quo habet, ut animus sit.*

CAPUT II.

Caritas Virtutes progenerat.

In terrestri Paradiso fons erat, qui in quatuor divisus flumina terram omnem irrigabat. In Ecclesia pariter amoris Dei fons adest, qui in quatuor Cardinales virtutes dividitur, Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, & Justitiam. *Illud quod quadripartita dicitur virtus, (inquit sanctus Augustinus de Morib. Eccles. cap. 15.), ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum utinam ita sit in mentibus vis, ut nomina in ore sunt omnium, sic etiam definire non dubitem: ut Temperantia sit amor, integrum se præbens ei quod amatur: Fortitudo amor, facile tolerans omnia propter quod amatur: Justitia amor soli amato serviens, & propterea recte dominans: Prudentia amor ea, quibus adjuvatur, ab eis, quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse dicimus, id est summi boni, summæ sapientiæ, summæque concordie. Nobili profecto minus modo de his virtutibus Philosophi loquuntur; neque ii, qui horum definitiones sectantur, tam sub-*

sublimiter, quam magnus iste Doctor, de illis differunt. Philosophorum vero falsæ erant infirmæque virtutes, humano enim illi agebant modo, creatumque sibi finem proponebant: illorum prudentia erat desidia; fortitudo superba audacia; temperantia abstinentia, qua hominum plausus captabant; & justitia alienorum bonorum distributio, qua ne proximum læderent dumtaxat cavebant. Hoc secundum Arausicanum Concilium hisce verbis docet: *Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum Dei caritas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Quid amplius, (inquit noster sanctus Doctor ibidem c. 25.), de moribus disputem? Si enim Deus est summum hominis bonum, quod negare non potestis, sequitur profecto, quoniam summum bonum appetere est bene vivere, ut nihil sit aliud bene vivere, quam toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere. A quo existit, ut incorruptus in eo amor, atque integer custodiatur, quod est temperantiæ; Et nullis frangatur incommodis, quod est fortitudinis; nulli alii seruiat, quod est justitiæ; vigilet in discernendis rebus, ne fallacia paulatim dolusque subrepat, quod est prudentiæ. Hæc est hominis una perfectio, qua sola impetrat, ut veritatis sinceritate perfruatur: hæc nobis Testamento utroque concinitur, hæc nobis hinc atque inde suadetur. Eo majorem habent læ verba auctoritatem, quod non ex Homilia sunt excerpta, ubi oratorio more, non dogmatico Augustinus credi posset locutus; sed ex Tractatu,*

tu, in quo contra Manichæos disputat, illosque
 catholicæ Ecclesiæ fidem docet. In reliquis suis
 libris eandem doctrinam tradidit, quod facile
 iisdem suis verbis possem ostendere. At bre-
 vitas, cui pro virili studeo, & in quam nimis
 forrasse hæctenus peccavi, alios hic sancti Au-
 gustini textus proferre vetat. Satis est serio
 nos attendere, quid amor proprius, aut vehe-
 mens creaturæ amor operetur: quæcumque agi-
 mus, ex hoc amore promanare, illumque respi-
 cere intelligemus; paratos nos esse ad quælibet
 toleranda propter creaturam, quam amamus,
 & ad voluptates quaslibet propter illam deserren-
 das, nihil nos intactum relinquere, ut illa, qua
 ad ipsam spectant, obrineat, omnemque nos
 movere lapidem, ut illa potiamur, & possessio-
 nis hujusce obstacula arceamus.

Fides atque spes sine caritate mortuæ sunt.
 Ut sibi credamus, & in ipsum speremus Deus
 jubet; sanctus vero Paulus ait: *Accepimus gra-
 tiam & apostolatam ad obediendum fidei in omni-
 bus gentibus (Rom. 1. 5.)*. Sine caritate autem
 perfecta, vel imperfecta fidei præceptis, ut
 oportet, obedire non possumus: *Credere enim
 oportet accedentem ad Deum, quia est, & inqui-
 rentibus se remunerator sit*, inquit sanctus Pau-
 lus *Hebr. II. 6*. Quomodo vero, si Deum
 non amemus, vivaciter credere possumus illum
 inquirentibus se Remuneratorem fore?

CAPUT III.

Caritas Spem nutrit, & auget.

Christianæ Spei non minus, quam fidei, caritas conjuncta est; christiana siquidem spes est virtus, nec sine Dei amore virtus perfecta existit. Qui cum hoc amore spem copulari non posse existimant, quoniam hæc Deum veluti bonum suum acquirere nititur, ac propterea concupiscentiæ potius, quam amicitiae amor censenda est, Christianæ spei excellentiam & puritatem hi minime intelligunt (a). Illa quidem Deum

con-

(a) Æternæ retributionis Spem a Caritate perfecta exclusam Franciscus di Salignac Fenelon Archiepiscopus & Dux Cameracensis voluit, cujus proin librum, *de Principiis fundamentalibus Sanctorum* conscriptum, Innocentius XII. a. 1699. prohibuit. Inter propositiones viginti tres, quas in suo Brevi ad majorem fidelium cautelam Pontifex specialiter confixit, prima ac potissima ista erat: *Datur status amoris Dei, qui est Caritas pura, & sine ulla admixtione proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem, in eo amando inveniendam. Secunda: In statu vitæ, contemplativæ, seu unitivæ omittitur omne motivum interessatum timoris & spei.* Vix Apostolica sententia pientissimo Præsuli Fenelonio innotuit, humiliter ei se submitit, eamdem publicavit, simulque Epistolam circularem, vulgatæ prius doctrinæ revocatoriam, suos ad diœcesanos dedit. Exemplum profecto quo salubrius, eo imitatione dignius!

consequi cupit, veluti bonum, quo beata erit: at duo in beatitudine; sunt attendenda beatitudinis objectum, nempe Deus, & homo, qui beatitudinem adipiscitur. Si beatitudinem sui ipsius tantum amore cuperet homo & speraret, concupiscentiæ hic esset amor, non amicitiae; nec ista vere christiana spes esset; bene vero desiderium fruendi Deo propter Deum, ut illum glorificemus, & laudemus, illique semper adhaereamus, licet seipsum homo in hoc desiderio respiciat, non tamen seipsum unice quaerit. Tunc christiana est spes, cum ad fontem suum rivus amoris redit, *dilectionem sui, & dilectionem illius refert in illam dilectionem Dei, qua nullum a se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.* Spei definitiones, quas afferunt Scholastici, probant non posse illam sine aliquo Dei amore existere, quemadmodum de fide jam diximus. *Spes, inquit divus Thomas, est virtus, qua speramus bona aeterna & spiritualia (2. 2. quaest. 17. art. 1.).* Haymo sic illam definit: *Spes est expectatio certa futura beatitudinis, procedens a gratia Dei, & a meritis praecedentibus.* Alii ita illam definiunt. *Spes est virtus divinitus infusa, qua firmiter expectamus salutis nostrae bonum, & vitam aeternam.* Quomodo autem beatitudinis aeterna & spiritualia bona, quae gratiae Dei & praecedentium meritorum sunt effectus, spei objectum esse possunt, quin ille ametur, qui hujusmodi beatitudinis est objectum? An merita possunt existere, quae a caritate non proficiuntur, cum vitae aeternae nulla sit meritoria actio sine caritate?

re? Ait sanctus Ambrosius: *Ex fide est caritas, ex caritate spes.* Cæterum beatitudinem a Deo sperare, nec illum diligere, est diabolica præsumptio, non spes christiana. *Si & credit, & diligit,* inquit sanctus Augustinus, *bene agendo, & præceptis bonorum morum obtemperando, efficit ut etiam speret se ad id quod diligit esse venturum.* Sapiens in Proverbiis ait: *Non habent spem futurorum mali (Prov. 24.), & in libro Sapientiæ inquit: Quoniam spes impiii tamquam lanugo est, quæ a vento tollitur; & tamquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur; & tamquam fumus, qui a vento diffusus est: & tamquam memoria hospitis unius diei prætereuntis (Sap. 5. 15.).* Hæ loquendi formulæ aperte ostendunt, posse aliquo modo dici, impiorum spem non esse spem veram, ideoque nec virtutem. At Apostolus ita definit: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem; spes autem non confundit, quia caritas diffusa est in cordibus nostris (Rom. 5.).* Meliusne potest spes christiana explicari, quæ ex caritate oritur, quam Spiritus Sanctus in cordibus nostris diffundit? Sanctus Joannes ita de spe loquitur: *Qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut & ille sanctus est (1. Joan. 3.).* Num sine caritate possumus sanctificari?

Idem ratio suadet. Quemadmodum sine eius cognitione nihil potest amari, ita quin illud amerur, nihil sperari potest; illud enim tantummodo bonum speramus, quod nobis convenire

nire arbitramur, illudque diligimus, quod tale esse judicamus.

Attamen non hic ego de caritate perfecta loquor, a qua sicut & fides, spes dividi potest: dico solum spem vere christianam, qualem Christus jubet, non existere sine caritate saltem imperfecta: secus præsumptio esset, aut amoris proprii illusio, non theologica virtus. Hinc facile elicitur spem aliam esse *formatam*, aliam *informem*, sicuti & fides alia formata, alia informis existit, ut Theologi loquuntur; & utramque Dei esse donum. At certum quoque est informem hanc spem sine imperfecto aliquo Dei amore non posse agere; sicut sine aliquo Dei amore informis fides non agit.

Idem de virtutibus reliquis affirmare oportet, quæ ad quatuor Cardinales spectant, quarum caritas anima est & moderatrix; & quo ipsa plus minusve illas informat, plus illæ minusve excellent. Inter has prima est Religio, quæ ad justitiam spectat, debitumque Deo cultum tribuit: at quis nesciat, Deum, sicuti oportet, nec coli nec honorari posse, quin diligatur? *Qui timetis Dominum*, inquit sanctus Augustinus, *laudate eum*. *Quis autem veraciter laudat, nisi qui veraciter amat?* *Tantum ergo est, ac si diceret: Qui timetis Dominum, amate Deum.* *Dixit enim homini sicut scriptum est: ecce pietas est sapientia.* Porro pietas Dei cultus est, nec colitur ille nisi amando. *Quis cultus ejus, nisi amor ejus, quo nunc desideramus eum videre, credimusque & speramus eum nos esse visuros?* *Hoc enim coli-*

colitur quod diligitur. Unde quia Deus rebus omnibus major & melior invenitur, plus omnibus diligendus est ut colatur (epist. 120. ad Honoratum). Hic cultus Evangelio convenit, hic a legis cultu distat, qui exterior & carnalis erat, qui solum propter retributionem aut suppliciorum timore Deum colebat; sed non sicuti Deum, qui propter seipsum amari & meretur & jubet: *Ut hoc sit pertinere ad Testamentum novum, legem Dei habere non in tabulis, sed in cordibus scriptam, hoc est in intimo affectu justitiam legis amplecti, ubi fides per dilectionem operatur*, inquit sanctus Augustinus. „Spei amor, „ait sanctus Franciscus Salesius, est amor cupiditatis, sed cupiditatis rectæ, qua Deum non „ad nos, nostramve utilitatem referimus, sed „illi ut felicitati nostræ ultimæ adhæremus: hoc „amore nosmetipsos cum Deo amamus; sed non „Deo aut nos anteponimus, aut æquamus. „Nostri amor cum Dei amore conjungitur, sed „Dei amor est validior; amor proprius hic „sane adest, sed veluti comes, non ut causa præcipua; adest nostra utilitas, sed huic Deus „anteponitur. Ut summum nostrum bonum „Deum amantes non illum ad nos trahimus, „sed nos ad illum imus: non nos Dei finis sumus, sed ille finis noster; non ille noster est, „sed nos sui sumus (lib. 1. de Amore Dei „cap. 17.)

CAPUT IV.

Veræ, solidæque virtutes seclusa Caritate non dantur.

Actionum, quæ ad Dei cultum pertinent, præcipua est oratio; oratione siquidem Deum veluti Dominum veneramur. *Mendici Dei sumus, inquit sanctus Augustinus, ante magni Patris familias januam stamus, aliquid ab eo petentes.* Illum ut supremum Dominum agnoscimus, si finem nostrum ultimum in oratione ipsum fatemur, ut & primum principium: quod si ipsum ut finem nostrum ultimum agnoscimus, in illo quiescimus, illumque propterea amamus. Aliquidne a Deo veluti a Patre expectamus, si illum non diligimus, aut si nos, proximumve illi antiferimus? Quæ sine amore fit, Deo non offertur oratio. *Nonne quotidie tales rogant Deum?* ait sanctus Augustinus. *Non rogant Deum. Attendite, si possumus hoc dicere adjuvante Deo. Deus gratis se vult diligi, hoc est caste amari; non propterea se amari, quia dat aliquid præter se, sed quia dat se, Qui ergo invocat Deum, ut dives fiat, Deum non invocat. Hoc enim invocat, quod vult ad se venire.*

Christianorum propria virtus est castitas; sed quomodo a Paganorum castitate differt, qui castas virgines, vestales, maritos castos, pudicasque viduas habebant? Quia nempe Paganorum castitas Dei amore carebat, nec Deum spectabat: castum erat corpus, immunda anima, quia a corporeis voluptatibus abstinens Deum non respiciebat, (ut ait divus Augustinus *de Nupt. & Con-*

Concup. Cap. 2.) Absit eum pudicum dici, qui non propter Deum fidem servat uxori. Quid ergo dicemus, quando & in quibusdam impiis invenitur pudicitia conjugalis? Utrum & peccare dicendi sunt, quod dono Dei male utantur, non id referentes ad cultum ejus, a quo acceperunt? In corporis voluptate hominis felicitatem Epicurei collocabant; superbi alii Philosophi, carnem contemnentes, in sua anima, & in sua virtute felicitatem collocarunt: verum illi secundum carnem viventes, isti secundum animam viventes, nec illi, nec isti secundum Deum viventes. (Serm. 3. de verb. Apost. c. 7.) Veritatem hanc Dei Filius nos docet inquiring: Sunt eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt, & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus, & sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum; idest propter Dei amorem, qui ex caritate proficiscitur, (Matth. 19.)

Sacrificium quoddam est eleemosyna; verum nisi ex Dei amore fiat; naturalis tantum pietatis effectus est erga pauperem, cui subvenitur, interdum vero superbiæ opus. Ideo Christus nos sic admonet: Te autem faciente eleemosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, (Matth. 6.) Deum igitur in paupere intueri debemus, & Jesum Christum, cujus membrum est pauper. Si amas illum, (inquit sanctus Augustinus, de Civit. l. 21. c. ult.) eme illum ab illo. Qui Christum diligit in christiano, hoc animo ei porrigit eleemosynam, quo accedit ad Christum, non quo vult recedere impunitus a Christo.

Patientia est virtus, qua sine querela immunitia mala toleramus; sed non est ipsa christiana virtus, si propter Dei amorem mala non tolerat. *Fructus autem Spiritus est patientia* (Galat. 5.); si vero Spiritus amoris est fructus, quomodo sine Dei amore esse potest? *Patientia vobis necessaria est, (inquit Apostolus Hebr. 10.) ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.* An sine caritate potest Dei impleri voluntas? Postumusne, quin illum diligamus, boni delectari æternis, quæ nobis promisit? Cruciatu suos ea fortitudine Regulus passus est, qua nostri Martyres suos toleravere; sed Reguli patientia virtus christiana non fuit, quia omni carebat caritate. *Non intelligunt, (inquit sanctus Augustinus de Patient. c. 17.), Et quemque iniquorum tanto esse ad quæcumque mala perferenda duriorum, quanto in eo major est cupiditas mundi; Et quemque justorum tanto esse ad quæcumque mala perferenda fortiorum, quanto in eo major est caritas Dei.* Martyrum virtus non solum magna, sed pia fuit; imo vero illa sola virtutis nomine digna, & vera est virtus, quæ non militat typho, sed Deo.

Quod de virtutibus hisce singulis diximus, de reliquis omnibus dicendum est: illæ solæ christianæ sunt, quæ Deo serviunt, qui illas largitur. *Absit (inquit idem Pater lib. 4. contra Julian. cap. 8.), ut virtutes veræ cuiquam serviant nisi illi, vel propter eum, cui dicimus, Deus virtutum converte nos.*

Veteres Philosophi magnam se dixisse veritatem putarunt, quando dixerunt virtutem propter seipsam amari posse; sed magnam dixere blasphemiam. Etenim si virtus propter seipsam potest amari, ultimum hominis finem illam esse oportet, aut Deum, qui est finis ultimus. *At virtutes (ait idem sanctus Doctor lib. 4. contra Julian. cap. 8.) ad quodlibet adipiscendum vel tenendum, nisi ad Deum retuleris, etiam ipsa vitia sunt potius, quam virtutes.*

CAPUT V.

Ut omnia opera nostra ad Deum referamus, Caritas urget.

Ut bona & christiana sit actio, debet esse libera, recta intentione facta, & ad Deum referri. A peccati servitute, in quam inciderat liberum arbitrium, gratia liberat, & bonis faciendis operibus aptum reddit. *Veritas*, (inquit Dei filius Joani 8.), *liberavit vos. Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis.* Intentio debet esse pura. *Si oculus tuus*, (inquit idem Dominus Matth. 6.), *fuerit simplex*; idest si intentio pura est: *totum corpus tuum*; idest omnis tua actio, *lucidum erit*; idest bona. At hoc non sufficit; oportet ut ad Deum actio referatur vel actualiter, vel virtualiter, ut Scholæ loquuntur (a). Duo in bo-

(a) Ut homo omnia sua relatione *actuali* immediate in Deum referat, pluribus propositionibus, a Summa Sede protritis, velut necessarium Bajus asseruit. Catholice sentientibus relatio operum *virtualis*, e præmissa actuali fluens, sufficit. Quia immo

no opere reperiuntur juxta sanctum Augustinum officium, & finis. De bonis itaque operibus non *ex officio* præcise est judicandum, sed *ex fine* præcipue, ad quem referuntur. Noverit (ait Augustinus lib. 4. contra *Julian.*), itaque non officii, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet, & facere debere vera sapientia præcipit, peccare convincitur, quia etsi officio videatur bonum, ipso non recto sine peccatum est. Ab alienis, exempli gratia, rapiendis substantiis quidam abstinere. Hæc justitiæ actio videri potest, at si ille supplicii timore abstinere, & ne aliquid re aliena pretiosius amittat: quomodo jam hoc factum

inimmo relationem virtuales nedum explicitam; sed & implicitam a peccato eximere, communior ac melior Theologorum pars tuetur. Relationem virtuales explicitam Titius interdum habet, si quævis agenda in Deum, propter se dilectum, actus v.g. de mane surgens direxit: relationem virtuales implicitam fecisse censetur, si nulla præcedente actuali relatione in Deum, propter se dilectum, libere eligit actum ex objecto suo honestum, ac nulla alia circumstantia vitiatum, puta si largiatur eleemosynam ex motivo misericordiæ; hæc quippe intentione operans *explicite* & proxime particularem actus honestatem, *implicitate* vero & ultimato ipsum Deum, totius honestatis fontem, & auctorem intendere, ac diligere reputatur. Tempus & circumstantias, in quibus virtuales explicita, vel omnino actualis caritatis relatio exigitur, infra, de præcepto dilectionis agentes, cum Authore determinabimus.

factum poterit esse veræ justitiæ, cum seruiat avaritiæ?

Hujus doctrinæ ratio hominis naturæ & officii innuitur. In sua creatione, ut diximus illum veluti rationalem creaturam sub se Deus collocavit, & supra reliquas creaturas corporeas veluti ipsi inferiores. Deum itaque utpote suum principium, finemque ultimum debet intueri, actiones suas omnes ad illum referre, suamque in uno illo requirere beatitudinem; fieri siquidem nequit, ut beatus sit bonum sibi æquale aut inferius possidens. *Non quod alia bona non sint.* (ait Augustinus epist. 56.) *sed summum id dicitur, quo cuncta referuntur.* Quid erit optimum hominis, nisi cui inhærere est beatissimum? Id autem est solus Deus, cui inhærere certe non valemus, nisi dilectione, amore, & caritate. Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei.

Doctor Angelicus sanctus Thomas pariter dicit: (1. 2. quæst. 25. a. 7.) posse actionem bonam esse ex officio, sed non perfecte bonam, quia deest ordinatio debita ad finem ultimum; neque justitiam, neque castitatem veras esse posse, nisi illas ad suum finem caritas referat. Scholastici meliores eandem sequuntur sententiam. Hanc sanctus Thomas affert rationem, quia tunc bona est actio, cum omnem suam perfectionem habet; mala vero, cum aliquid illi deest; sicuti bona res est, cui nihil deest ad sui perfectionem, mala vero, si aliquid illi desit: quemadmodum homo, non homo, sed monstrum est, si organo aliquo, aut aliqua

qua

qua corporis sui parte careat, exempli gratia, cæcus nascatur. Primus actionis defectus est, si objectum sit malum; secundus, si aliqua illi circumstantia defuit. Nullum in se malum est objectum, sed relate ad rationalem hominem sunt attendenda, nec homini convenire ea possunt, quæ ejus rationi adversantur. Porro ratio hominem ad finem suum ultimum; idest Deum quærendum impellit: rationis nomine æternam immutabilemque legem intelligo, de qua jam diximus, quæ omnia vult ordinata, idest ad finem referri, ad quem sunt condita, nempe ad Deum.

At Christiani præcipue omnia opera sua referuntur ad Deum referre, ejusdem namque filii per Baptismum sunt effecti. *Videte*, (ait sanctus Joannes 1. Joan. 3.), *qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus*: Deum Christiani Patrem suum vocant per Spiritum adoptionis, quem acceperant, *in quo clamamus Abba, Pater* (Rom. 8.). Hoc nomine Deum vocant in Oratione, (quam a Jesu Christo didicerunt Matth. 5.): *Pater noster, qui es in cælis*. Per Baptismum membra filii Dei efficiuntur, (ut inquit Apostolus Ephes. 4.) *Veritatem autem facientes crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compæditum & connexum per omnem juncturam uniuscujusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate*. Ecce quomodo de filii Dei corpore, cujus membrum est quilibet Christianus, loquatur Apostolus. Si membra ejus sumus, de illius vita debemus vivere, qui

nostrum est caput, ejus spiritu agi debemus, ejusque facta imitari. Porro ille omnia opera sua ad Patrem suum Deum referens, ejus tantum gloriam quæsit: *Ego, (ait ille, Joan. 8.) non quæro gloriam meam, sed ejus qui misit me. Christus non sibi placuit, (inquit Apostolus Rom. 13.) idest suimet amore nihil egit, dixitve; non se quæsit, nec sibi complacuit. Id vero ab eo fieri adeo est repugnans, quantum fieri nequit ne bona ejus & sancta sint opera; quæ talia profecto non fuissent, si a recto suo fine aberrassent.*

Hæc relatio non actiones modo Religionis, reliquarumque virtutum bonas, sanctas, & meritoritas efficit; sed infimis etiam naturalibus actionibus, quæ nobis bestiisque sunt communes, veluti edere ac bibere &c. dignitatem affert. Id aperte docet sanctus Apostolus Paulus ad Corinthios scribens: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite (1. Cor. 10.)*. Idipsum reperit in epistola ad Colossenses: *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum, (Coloss. 3.)* Non de iis actionibus solum hic textus est intelligendus, quæ coram aliis fiunt, in Deique gloriam sunt faciendæ, ut ab omnibus lauderur, nam generalia sunt verba, nec secretas modo, verum etiam publicas afficiunt: *vel aliud quid facitis in verbo aut in opere (Ibid.)*. Alioquin quod clam fit, & secreto fieri Christus jubet, veluti oratio & eleemosyna, finis excellentiam quemadmodum opus publicum non haberet; vel
sibi

sibi debitum finem hæc virtutes non haberent. Sanctus Hieronymus hæc Apostoli verba explicat non de publicis modo actionibus, verum etiam de occultis, de vilioribus quoque secundum naturam, dummodo humanæ actiones sint, scilicet quæ ad finem referri possint.

Auctor Commentarii in Epistolas sancti Pauli hunc textum explicans inquit: *In gloriam Dei edere & bibere, & aliquid facere, hoc est sub invocatione Creatoris, & cum modestia convivium celebretur. In gloria enim Dei aliquid fit cum actibus & conversatione Christiani Deus laudatur.*

Sanctus Maximus Taurinensis Episcopus ita pariter loquitur: *Omnes ergo actus nostros Christo vult socio, vult teste compleri, hac scilicet ratione, ut bona ipso auctore faciamus, mala propter ipsius contubernium declinemus. Ergo cum diluculo surgimus, debemus priusquam procedamus e cubiculo, gratias agere Salvatori, & ante omnes actus sæculi actus habere pietatis, qui nos quiescentes & dormientes in lectulis conservavit. In hoc nomine omnes actus nostri dirigendi sunt, & ad ipsum totius vitæ nostræ commercia referenda.*

Sanctus Anselmus in suo Commentario in caput tertium Epistolæ ad Corinthios ait: *Quaecumque loquimini, & quaecumque operamini, omnia facite in nomine Domini, id est nomen eius invocate in exordio locutionis & actionis vestræ, atque sequentia verba & opera ad gloriam eius semper dirigite. Quid quærimus apertius? Græci*

ei Patres Latinis in hoc consentiunt. Sanctus Ba-
filius huic interrogationi: *Quomodo in Dei glo-
riam manducatur & bibitur?* respondet, tunc
nos in Dei gloriam manducare, quando benefi-
ciorum Dei manducantes recordamur, quod te-
stamur exterius; quando veluti Deo inspectante
manducamus; quando cibum capientes volupta-
tem non quærimus, ut ventris mancipia, sed ve-
luti Dei operarii vires reficimus, ut ad ejus jussa,
ejusque gloriam reddamur alacriores, (*Inter-
rog. 156.*)

Sanctus Joannes Chrysostomus ait, nullum in
nostris operibus peccatum, nullam adesse macu-
lam, si Jesus Christus invocetur. „Sive editis
„(*inquit Homil. 9. in cap. 3. ad Coloss.*) sive bi-
„bitis, sive uxorem ducitis, sive peregrinamini,
„in Dei nomine hæc omnia facite, illiusque au-
„xilium poscite. Opusne aliquod vultis exordi-
„ri? illum prius rogate. Verbane facere vul-
„tis? illum præsentem considerate. Propterea
„ab ejus nomine epistolas nostras exordimur.
„Ubi nomen Domini, omnia ibi felicia & pro-
„spera; si enim Consulis nomen firma, validaque
„decreta facit, multo magis id Jesu Christi no-
„men præstabit. Apostolus inquit: *Omnia in*
„*Dei gloriam facite; scilicet juxta illius volunta-*
„*tem: nolite falso cultu Angelos prosequi. Si*
„*editis, gratias Deo agite, si dormitis, vel in*
„*plateam pergitis, idem præstate, non mundo,*
„*non vitæ præsentis adhærentes. Omnia in no-*
„*mine Dei facite, & omnia prospere evenient.*

Theodoretus hunc textum explicans ait, ab Apostolo omnia opera nostra comprehendere, sedere, ambulare, loqui, fratrum misereri, docere; ita ut in his omnibus gloriam Dei dumtaxat quæramus.

Theophylactus in Epistolam ad Colossenses idem docet, nimirum omnia illum in Dei gloriam agere, qui hominibus placere non desiderat, nec inordinatum amorem sectatur. Porro quod opus suum ad Deum non refert, sed seipsum, suam voluptatem, delectationem, aut gloriam quærit, nonne inordinatum motum sectatur?

Dubitare igitur non licet, quin Apostolus in hisce duobus textibus *præceptum* tradat, non consilium. Non enim simplex consilium id persuaderet, quod ille probare intendit, nempe illos, qui oblatos idolis cibos edunt, Dei honorem non considerantes, nec salutem proximi, qui scandalizatur, peccare; peccatum siquidem sine *præcepto* esse nequit.

Nec soli Veteres hanc opinionem amplexi sunt. Sanctus Thomas textum hunc epistolæ ad Corinthios explicans (2. 2. *quæst.* 69. *art.* 1. *quæst.* 83. *art.* 14. *quæst.* 89. *art.* 4. *in qq. disput. de caritate art.* 11. *ad 2.*) disertè ait, *præceptum* in illo contineri, non consilium; illumque peccare, qui actiones suas omnes ad Deum non dirigat; verum opus non esse ut ratio hæc semper actualis sit, sed sufficere virtualem: in plerisque Summæ suæ locis hanc sententiam docet. Doctrinam hanc e primo *præcepto* colligit; cum enim debeat homo ex toto corde & ex totis viribus

bus suis Deum diligere, non potest hoc implere præceptum, nisi actiones suas omnes ad Deum referat (1. 2. quæst. 100. art. 10.) Id a sancto Augustino acceperat, qui lib. 1. de Doctrina christ. cap. 21. inquit: *Cum autem ait (Deus) toto corde, tota anima, tota mente; nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re velit frui; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit.* Certum est itaque omnes Christiani hominis actiones in caritate esse faciendas: *Omnia in caritate fiant: & in Deum referendas esse, quando relationis hujus sunt capaces, ac proinde nullam actionem in individuo, ut Scholæ loquuntur, seu singularem existere indifferentem.* Sed cum sæcularia negotia, & hominum in rebus agendis incuria, ab actuali omnium suorum operum ad Deum relatione homines impediunt, ita ut, præter religiosiores quosdam, hujusce sui muneris obliviscantur; oportet ut unusquisque mane e lecto surgens diei illius actiones Deo offerat, sicque omnia sua opera ad Deum dirigat. At si quando majoris momenti opus est inchoandum, hoc singulariter ad Deum est referendum, cum tale opus peculiariter ad Dei gloriam pertineat (a).

CA-

(a) Ut Confessarius de hac operum ad Deum relatione, quotidie de mane facienda, pœnitentes omnes, præsertim rudes, sæpius moneat, & si opus, breves formulas edoceat, sublime, quo fungitur, *Doctoris* munus requirit; ad hanc quippe actionum oblationem assuefacti peccatores multa evitabunt peccata: *justi* accumulabunt merita.

CAPUT VI.

Caritati non adversatur, qui æternæ retributionis spe operatur.

Quæ de gratuito Dei amore, id est propter ipsum, diximus, non impediunt quo minus æternæ retributionis spe bona opera fieri possint. Caritas enim in Deum fertur, Deo frui studet, quo in cælo tantum frui perfectè licet. Homini centrum est Deus, suumque centrum omnia suapte natura quærunt. Amor est de bono delectatio, & sicuti præsentì bono cor adhæret, ita bonum absens desiderat. Si in bono quiescit, moveatur oportet, ut ad illud perveniat: quomodo autem moveretur, nisi desiderans? Id de concupiscentiæ non minus, quam de amicitia amore vere affirmatur. Non est concupiscentiæ amor christiana spes, sed amor, qui æterna bona in Deo solo quærìt, & expetit. Quid est dilectio, sive caritas, quam adeo Scriptura laudat & commendat, inquit sanctus Augustinus, nisi amor boni? Porro amor est amantis, & aliud amore prosequimur. En igitur tria, *amans, amatum, & amor.* Quid ergo est amor, nisi vinculum quoddam, quod res duas conjungit, vel conjungere cupit, amantem nimirum, & rem amatam.

Impurum itaque fruendi creaturis desiderium longe distat a desiderio fruendi Deo: illud a carnali cupiditate, hoc a sancta caritate oritur. Si postquam Deum fide invenimus, ait Sanctus Augustinus, quærendus adhuc ille non foret, frustra diceret Apostolus, nos expectare cum patientia quod speramus, nec tamen videmus: semper ille est

est quærendus, quia semper est amandus. In cordibus nostris caritas diffusa est, ut id desideremus, quo habito nihil ultra desiderabimus. In caritate igitur novi Testamenti filii opera sua faciant, nec temporalem retributionem expectent, sed Dei promissionem, nempe ipsum Deum.

Credientium pater erat Abraham, & perfectæ caritatis spiritu actus profecto operabatur, cum filium suum unicum immolare paratus erat, statim ac præceptum Dei audiit. De illo sic ait: Apostolus: *Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus* (Hebr. II. v. 10.). Ad præsentia, inquit Theodoretus, non inhiabat, sed futura cupiebat; hæc enim firma sunt & stabilia. Et sane ut domum suam & cognationem suam tam prompte desereret, excellentior domus erat illi expectanda. Sed antequam hæc omnia deserat, cogitationes suas omnes ad Deum debet dirigere, qui sibi ait: *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis* (Genes. 15.); Postquam vero mercedem se illi futurum Deus promiserat, terram quoque Chanaan, & filiorum numerum sicut stellas cæli & maris arenam eidem promisit.

Populi Dei Ductor erat Moyses, & figura Jesu Christi, qui e peccati diabolique servitute humanum genus liberavit. Hic (inquit Sanctus Paulus Hebr. II. v. 24. & seq.) *grandis factus negavit se esse filium filicæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Aegyptiorum improprium Christi-*

aspiciebat enim in remunerationem: idest in vitam æternam. En heroica caritatis actio spei inimica

Homo juxta Dei cor erat David; ille ergo juxta cor Dei operabatur. Quomodo vero agebat Deus? caritate. David igitur caritate agebatur, cum tam sæpe in Psalmis vitam æternam exoptabat. *Satiabor cum apparuerit gloria tua. Beati qui habitant in domo tua, Domine (Psalm. 16.)* Quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei (Psalm. 83.)? Attamen expresse ait: *Inclinabo cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem (Psalm. 118.)* est, inquit Sanctus Ambrosius (in Psalm. eundem.) ista retributio regnum Cælorum, & Paradisi incolatus. Optabat igitur vitam æternam, se beatum futurum non putans, nisi illum possideret, cui dicebat: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum (Psalm. 72.)*. Quem versiculum explicans Sanctus Augustinus sic mire loquitur: *Factum est cor castum, gratis jam amatur Deus, non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit a Deo, & propterea servire vult Deo, carius facit, quod vult accipere, quam ipsum a quo vult accipere. Quid ergo? Nullum præmium Dei? Nullum præter ipsum: præmium Dei est ipse Deus; hoc amat, hoc diligit: si aliud dilexerit, non erit castus amor. Recedis ab igne immortalis, frigesceis, corrumperis.*

Magnus caritatis Doctor erat Sanctus apostolus Paulus: mirum ejus panegyricum texit (Rom. 13.), nihilque aliud Christianis commendat. Caritatis igitur spiritu agebatur, quando tam vehementer

hementer æternam vitam optabat. *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo* (Philipp. 1. 23.). *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus judex* (2. Timoth. 4. v. 8.). *Non sunt condignæ passiones ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (Rom. 8. v. 18.). *Nam quod speramus, per patientiam expectamus* (Rom. 8. v. 25.).

Potest igitur Deus diligi, & una propter promissam retributionem possunt mandata ejus servari. Valde differunt inter se, propter retributionem agere, & agere unice propter retributionem. Qui enim mercedis solum spe bona agit, mercenarius est, non servus fidelis: hic seipsum sibi finem ultimum constituit, Deique amorem amori suimeripsum subalternum & inferiorem facit. „Hæc est, (inquit sanctus Franciscus Salesius *de Amore Dei* l. 1. c. 17.), impietas non ferenda. Perfectioni igitur non adversatur Paradisum cupere, & propter illum agere; verum illi opponitur propter Paradisum dumtaxat agere, illumque ad se referre, non ad Deum, cui gratis est serviendum, id est propter ipsum, ut ejus æterno amore fruamur, & fruendo illum perfecte amemus. Christiani hominis vita cursus est caritatis, quæ in illo per Baptismum diffunditur, & per alia Sacramenta augetur, bonis operibus roboratur, & in cælo completur, ubi sola manet veluti in regno, *cujus lex caritas*, inquit sanctus Augustinus.

CAPUT VII.

Quid sit bona opera facere sicut oportet?

Non sufficit bona opera facere, sed facienda sunt *sicut oportet*. Hac phrasi utitur sanctus Augustinus, quam ab illo, ut sententiam suam declararent, Arausicanum & Tridentinum Concilia acceperunt. Illud inquit: *Nullus potest diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, nisi gratia eum & misericordia praevenierit*. Alterum vero ita definit: *Si quis dixerit, sine praevenienti Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse sicut oportet, anathema sit* (Sess. 6. can. 3.). Has voces *sicut oportet* varie explicant Scholastici; sed earum vim non omnes satis intelligunt.

Opus bonum *sicut oportet* facere, est illud ita facere, ut rectum ac bonum vere sit. Porro ut tale sit, amore justitiae, id est Dei amore, quo gratis ametur illique serviat, sine carnali timore aut cupiditate, illud est faciendum; mirum quin ad nosmetipsos veluti ad finem ultimum respiciamus. Id aperte docet sanctus Augustinus: *Omnis itaque, (ait Ench. c. 121.), praecepti finis est caritas, id est ad caritatem refertur. Omne praeceptum, quod fit vel timore poenae, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam caritatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus nostris, nondum fit quem admodum fieri oportet, quamvis fieri videatur.*

Sæpe

Quid sit bona opera facere sicut &c. 153

Sæpe hoc sicut oportet explicat per adverbium recte, id vero relate ad Deum, cum nempe gratis Deus amatur. Hoc enim totum recte fit, inquit contra Julianum scribens, quando fit propter ipsum, id est quando gratis amatur ipse. Qualis amor nobis esse non potest, nisi ex ipso. Modo ita explicat: Agere sicut agendum est (de corrup. & gr. c. 2.). Alias sic loquitur: Agere ex animo, & cum bona voluntate facere (lib. 2. Op. imperf.). Interdum ait: Bonum bene facere. Quando timore pœnæ, non amore justitiæ sit bonum, nondum bene fit bonum. Duo rursus adverbia vere & bene interdum conjungit: Ut bonum vere bene, id est non mali carnalis formidine, sed boni spiritualis delectatione faciamus (lib. 2. ad Bonif. cap. 9.).

Veram religionem Judæi habebant; sed legis præcepta servabant solum propter spem temporalium bonorum, quæ lex illis promittebat, aut propter formidinem ea perdendi. Dei præcepta servabant, imo non servabant, sed servare sibi videbantur. Neque enim in eis fides per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas metusque carnalis. Sic autem præcepta qui facit, procul dubio invitatus facit, ac per hoc in animo non facit.

Hæc ex Dei amore agendi necessitas, & cum recta ultimi finis intentione, ut agatur sicut oportet, iis solis aspera videri potest, qui pagani cor, non christianum habent, & qui conditionis suæ dignitati renuunt operibus respondere; sed qui vere ad Evangelium pertinent,

quod amoris lex est, nihil asperum in hoc re-
perient: illorum imo amor omnem mandato-
rum difficultatem auferet, planamque redde-
viam, quam sola concupiscentia asperam facit.
Dicent Deo cum Davide: *Propter verba labio-
rum tuorum ego custodiui vias duras, passio-
nes meas mortificans, nihilque concupiscentie
tribuens.*

CAPUT VIII.

Timoris bonitas, ac utilitas probatur.

Ex tradita doctrina, nempe esse opera ex cari-
tate & amore iustitiæ facienda, ut vere bo-
na sint & christiana, ne quis suspicetur nos do-
cere, quæ ex gehennæ timore fiunt, esse mala.
Erronea est hæc conclusio, a qua longe distamus;
eamque Tridentinum Concilium cum novis he-
reticorum erroribus damnauit. *Si quis dixerit,*
*inquit canone octavo Sessionis sextæ, gehennæ
metum, per quem ad misericordiam Dei de pec-
catis dolendo confugimus, vel a peccando abstin-
emus, peccatum esse, aut peccatores peiores fac-
ere, anathema sit.* Verum aliud extremum est
vitandum, nec ideo dicere actionem quamlibet
ex timore quocumque semper esse bonam; Con-
cilium siquidem aperte declarat, quid in praua
Lutheri & Calvini doctrina damnet.

Duo igitur existunt timores *seruilis & filialis*;
ille gehennæ pœnas respicit, hic Dei offensam
refugit. Hic quasi filii timor patrem amantis;
ille seruorum est, qui, ne a dominis punian-
tur.

tur, timent. Optimus est filialis timor; alter non æque bonus, ad salutem tamen utilis, si nos a peccato coercent (a).

E sacris Litteris hæc distinctio accipitur, quæ Dei ejusque judiciorum timorem præcipue commendat. Domine, ait David, *confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui* (Ps. 118.). *Timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum* (Ps. 33.). *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis* (Ps. 111.). *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi* (Ps. 18.). *Voluntatem timentium se faciet* (Ps. 144.). *In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit spes; timor*

(a) Angelicus Doctor 2. 2. q. 19. a. 2. o. Timorem in mundanum, servilem, filialem, & initialem dividit, hancque divisionem ita declarat: „Dicens, quod de timore nunc agimus, secundum, quod per ipsum aliquo modo ad Deum convertimur, vel ab eo avertimur; cum enim objectum timoris sit *malum*, quandoque homo propter mala, quæ timet, a Deo recedit; & iste dicitur timor *humanus* vel *mundanus*: quandoque autem homo propter mala, quæ timet, ad Deum convertitur, & ei inhæret; quod quidem malum est duplex, scilicet *malum poenæ*, & *malum culpæ*: Si ergo aliquis convertatur ad Deum, eique inhæreat propter timorem poenæ, erit timor *servilis*; si autem propter timorem culpæ, erit timor *filialis*; nam filiorum est timere offensam patris: si autem propter utrumque, est timor *initialis*, qui est medius inter utrumque timorem. Hac S. Thomæ Doctrina Authoris dicta mire illustrantur.

timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis (Prov. 14.). In novo Testamento Christus inquit: *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus: timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam; ita dico vobis, hunc timete (Luc. 12.).* Apostolus ad timorem amittendi Paradisi fideles exhortans: *Timeamus ergo (inquit Hebr. 4.), ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur in vobis aliud deesse.* Insuper ait: *Cum timore & tremore salutem vestram operamini (Philip. 2. 12.).* Ad Romanos vero ita scribit: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore (Rom. 8.).*

Bonus igitur timor existit, qui est sanctus, caritatem comitatur, sapientiamque perficit: *Principium sapientiæ timor Domini. Sapiens timet Dominum, & declinat a malo. Per timorem Domini declinat omnis a malo (Prov. 1. 14. 15.)*

Primus sæcundi hujusce timoris fructus est hominem coercere, ne exterius peccati opus committat; quamvis, ut diximus, non omnem tollat occultam peccandi cupiditatem. *Timor pænæ, inquit Sanctus Augustinus, etsi nondum habet delectationem bonæ conscientiae, saltem intra claustra cogitationis coercet malum.*

Secundus hujusce timoris fructus est, non modo sæpe hominem a pravis exterioribus actibus coercere, sed etiam concupiscentiæ vim imminuere, quæ ex reperitis actibus augetur. *Ex voluntate perversa facta est libido; & cum servi-*

tur libidini, facta est consuetudo; & cum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Idipsum sibi accidisse idem sanctus Doctor testatur (Lib. 3. Confess. cap. 2.); naturaliter siquidem homo plus dolorem timet, quam voluptatem amet; novit etenim posse a dolore vitam suam destrui, quæ sine voluptate, quam cupit, potest servari.

Tertius timoris hujus fructus est juxta sanctum Augustinum, postquam hominem ab exterioribus pravis operibus removerit, peccandi consuetudinem ab eodem prohibere, ad bonum facilius agendum disponere, & ad amandum, (ita ut Lib. 38. quæst. 36.) incipiat gustari dulcedo pietatis, & commendari pulchritudo virtutis; ut caritatis libertas præ servitutis timore emineat.

Quartus timoris fructus est peccatorem compellere, ut ad Dei misericordiam confugiat, & ab ea gratiam deserendi peccatum exoret. Idipsum, ut diximus, Tridentinum Concilium nos docet inquiens: *Per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus.* Infernus igitur est timendus, nec inter pœnas, quas pari possumus, nulla magis est timenda, solus quippe infernus proprie loquendo vera pœna est. *Modo cum dicis mihi* (ait sanctus Augustinus *Serm. 18. de Verbis Apost. c. 7. & 8.) gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo, quid dicturus sum; Male times, vane times? Non audeo; quandoquidem ipse Dominus ablato timore subjecit timorem,*

rem, ubi dixit, Nolite timere eos qui corpus occidunt, postea non habent quod faciant: sed eum timete, qui habet potestatem corpus & animam mittere in gehennam ignis. Ita dico vobis, huiusmodi timete. Cum ergo Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum comminationem geminaverit, diciturus ego sum, male times? Ita non dicam: plane time, nihil melius times, nihil est quod magis timere debeat.

CAPUT IX.

Ex solo inferni pœnarumque timore perfecte non agitur.

Ut perfecte Christiani agant, agere debent et caritate. Porro inferni timor, si solus est, caritatem adjunctam non habet: Timor non est in caritate, (inquit sanctus Joannes Epist. I. c. 4.) Caritatem tamen timor in cor introducit. Sicut videmus (ait sanctus Augustinus Tract. 9. in Epist. S. Joan.) per setam introduci linum, quando aliquid suitur, seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum; sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret caritatem. Idem Doctor illa sancti Joannis verba explicans egregie dicit: Quid ergo dicemus de illo, qui cepit timere diem iudicii? Si perfecta in illo esset caritas, non timeret. Perfecta enim caritas faceret perfectam justitiam, & non haberet quare timeret, imo haberet quare desideraret, ut transiret iniquitas, & veniat regnum Dei. Ergo timor non est in caritate. Sed in qua caritate? Non

Non in inchoata. In qua ergo? Sed perfecta, inquit, caritas foras mittit timorem. Ergo incipiat timor, quia initium sapientiæ timor Domini. Timor quasi locum præparat caritati. Cum autem cœperit caritas habitare, pellitur timor qui ei præparavit locum. Quantum enim illa crescit, ille decrescit, & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Major caritas, minor timor; minor caritas, major timor. Quotidie in Oratione dominica dicimus: *Adveniat regnum tuum.* Hoc est diei iudicii adventum optare, cum Dei regnum perfecte & in perpetuum stabilietur, diaboli regno jam destructo. Qui bonus non est christianus Jesu Christi adventum timet, etenim timet ne se impium damnandum reperiat. Quando autem homo vere christianus est, Christi adventum optat; sperat enim Christum in se inventurum pium, quem coronet.

Hunc inferni timorem in hominis corde gratia excitat; sed nondum Spiritus sanctus in illorum cordibus habitat, quibus hic timor imperat. Ad Romanos ait sanctus Paulus: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore (cap. 8).* Hæc vox iterum magnum quid significat, nempe Christianos spiritum timoris a Deo non accepisse sicut Judæos, qui hoc spiritu Deo serviebant, quos non debent illi imitari. Si alius esset (inquit Augustinus *Serm. 13. de Verbis Apost. c. 19.*) non diceret Apostolus, iterum. Idem ergo spiritus, sed in tabulis lapideis in timore, in tabulis cordis in dilectione. Agere siquidem debent Christiani ex caritate, quæ secreta

creta

creta est delectatio omnia Dei mandata suaviter reddens; atque interior hæc delectatio est vera Jesu Christi gratia, quæ, ut ait sanctus Joannes, *foras mittit timorem* (1. Joan. 4.).

Inferni timor, si solus sit, non semper peccatum impedit, nisi forte externum; hoc tamen in voluntate manet, quæ peccatum patrare utique vellet, nisi supplicium timeret. *Sub lege est*, inquit sanctus Augustinus, *qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ, sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, quia mallet, si fieri posset, non esse quod timet, ut libere faciat, quod occulte desiderat.*

Hic timor, quo solum pœna timetur, est timor servilis, & carnalis, qui ideo carnem non crucifigit. *Vivit enim peccandi voluntas, quæ in opere manifestatur, dum speratur impunitas.* Quando peccator pœnam post peccatum securitatem timeret, ab hoc externe abstinere, sed illud in corde suo committit; optaret enim ut illud sibi liceret, tristaturque id lege veritum, nec sibi permissum, bono enim non delectatur, & carnaliter malum timeret, quo terretur. Quando ex hac tantum causa a peccato quis abstinere, verendum est ne in illud circo labatur propter voluntatis malitiam. *Gaudeo* (inquit sanctus Augustinus lib. 19. de Verbis Apost. cap. 9.) *fidei tuæ, sed timeo malitiæ tuæ.*

Hujus doctrinæ ratio est, quia, juxta Philosophos, quæ ex timore tantum fiunt, qui passio est

est irascibilis appetitus, in seipsis spectata sunt aliquatenus involuntaria, sicut asserimus. Docet sanctus Thomas (1. 2. quæst. 6. art. 7.), quod in eo, qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id quod agitur; sed in eo, qui agit aliquid per concupiscentiam, non manet prior voluntas quæ repudiabat illud, quod concupiscitur, sed mutatur ad volendum id, quod prius repudiabat. Et ideo quod per metum agitur, quodammodo est involuntarium. Qui ejus sequuntur doctrinam, eodem modo loquuntur.

Pœnarum inferni timor, si solus adsit, id est quando quis damnationem tantum timet, sicque est dispositus, ut opus faceret, nisi infernum timeret, licet opus illud Deus prohibeat, & oderit; hic timor, inquam, malam mutare non potest voluntatem: solus justitiæ amor id potest efficere. Timor, inquit sanctus Augustinus, id agebat ne faceres: caritas id agit ne velis facere, etiam si impune possis admittere. Vane quis & falso gloriatur se peccatum vicisse, quando ex solo pœnæ timore non peccat; quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala concupiscentia intus est hostis. Mutata sit oportet peccandi voluntas, ita ut peccatum quis oderit ex contraria bene agendi voluntate. Porro ex solo pœnæ timore, quam lex denunciat, non potest voluntas ista mutari; hoc proficiscitur ex amore justitiæ, id est ex caritate, qua opus bonum veluti bonum diligitur: secus homo peccatum vere non odit, sed id tantum, quod comitatur peccatum, nempe infernâ

pœnas, aut temporalia supplicia. Qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas metuit. Deus, qui cordis intima penetrat, hanc in eo dispositionem videt, quam homines non agnoscunt, illosque juxta id, quod in eorum cordibus reperit, judicabit. Sic qui jejunium servat, ideo hoc præceptum potest servare, quia inferni pœnas timet, quibus illi plectuntur, qui licet jejunare teneantur, non jejunant. Attamen si solum ex hoc timore jejunet, semper non jejunandi voluntatem retinet, si pœna vitari possit. Idem de iis affirmare licet, qui ex solo pœnæ timore ab adulterio & homicidio abstinere. Nam si illis promitteretur impunitas, & hanc certo sperare possent, pessima quæque committerent: eorum quidem malitia compescitur, sed non auferitur; etenim si possent, justitiam destruerent, quæ actiones puniunt, quas illi facere cupiunt. *Ac per hoc, (inquit Augustinus ibid.), quodammodo justus est justitiæ talis inimicus, ut eam, si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat?*

Denique solus pœnarum inferni timor, quem ad nos ipsos unice referimus, ex vitioso amoris proprii fonte proficiscitur. Sicuti Christiano non licet bona licita propter ipsa amare, neque quod licitum est agere, veluti edere, bibere, studere, operari &c. hæc omnia ad seipsum referendo, & hisce bonis, delectationibusque veluti fini suo ultimo adhærendo, ita neque horum bonorum jacturam propter seipsum timere sine peccato

nequit. Porro qualis est horum bonorum amor, talis est timor ne amittantur. Concupiscentiæ amore plerique Christiani bonis, quæ possident, delectantur: timorem quoque habent, qui ex eodem fonte promanat. Verum non tam timoris vitium hoc est, quam timentis, qui ideo malum timet, quia ab eo torquetur, id non considerans, propter quod malum ipsum timendum est, ut ait sanctus Augustinus: *In eo quod amas, vis ut bene tibi sit; in eo quod times, non vis ut male sit.*

Dicamus igitur inferni timorem bonum utilemque esse; a Deo proficisci, & ad justificationem disponere, neque actionem, quæ ex eo fit, esse peccatum. At non idem dicendum est de timore, qui infernum tanquam hominis malum considerat, neque ullo modo ad Deum respicit, cujus fruitio in inferno amittitur. Potest Christianus dicere: *Ab hoc peccato abstinere volo, me etenim Deus damnabit, si illud committam;* at nequit dicere: *Ideo solum ab hoc peccato volo abstinere, quia me Deus potest punire:* hic enim Dei hostis sermo est, ille vero servi fidelis, non autem adhuc filii, quia filialis timor cum caritate manet, illique sociatur. Tandem timenda est damnatio, non tantum quia ibi ardebit damnatus; sed ideo etiam quia damnatus Deum in æternum amittet, illumque semper odio habebit, ac blasphemabit: quo nil magis horrere Christianus debet (a).

CA-

(a) Majoris claritatis gratia cum Doctore Angelico timoris servilis substantiam a speciali servilitatis modo distinguere juvat. Pœnam pertimescere

CAPUT X.

Caritatem primum Moralis Christianae principium esse concluditur.

Quæ de caritate hætenus diximus satis declarant, hanc Ethicæ Christianæ generale esse principium, & conscientiæ casuum decidendorum regulam. Ut igitur, an bona, anve mala sit actio, judicemus, perpendere oportet, utrum ex Dei amore oriatur, an vero ex concupiscentia, aut ex sui vel creaturarum amore. Quæ admodum enim quæ ex caritate fiunt, singula bona sunt opera; ita quæ ex cupiditate proficiunt, mala sunt omnia, licet non æque, sed juxta varios cupiditatis gradus. Juxta hanc regulam plures circa usuram, simoniam, & restitutionem difficultates enodantur. Nam si verum fateri vellent, qui peccata ista committunt, faterentur se, antequam contractus hos licitos aut vetitos esse scirent, dilexisse pecuniam, & beneficium optasse, non ut Deum colerent, illique

afflictivam timoris servilis *natura ac substantia* est: pœnam unice ut summum ac principale malum horrescere *accidentaria timoris servilitas* est, non ex timoris servilis natura, sed mala timentis dispositione promanans, utpote qui bono proprio adeo adglutinatus hæret, ut quamvis præceptum urgeret, ni simul pœna terreret, avulsionem a creatura nullatenus admitteret. Timor servilis *prior* bonus, a Spiritu S. immixtus, cum Caritate saltem remissa sæpe hospitatur: *posterior* malus, a perversa voluntate oriundus, e Caritatis contubernio perpetuo exclusus manet. Vid. S. Thom. 2. 2. q. 19. a. 4. ☉.

fervirent, sed ut avaritiæ suæ vel ambitioni faverent. Jamvero si in eis Dei amor regnaret, nec pecuniam, nec honores amarent, quoties vel minimum Dei præcepta, Ecclesiæque canones violandi periculum adesset.

Quando dives consilium petit, an ex pecunia sua fructus possit percipere, quin fundum alienet, se nobilem esse dicit, filias nuptui dandas habere, nec generum suæ conditioni parem posse invenire, nisi pecuniam paratam habeat; sterilem fore suam pecuniam, aut a furibus forte rapiendam fore, si in scrinio servetur; vel dicet se filio suo officium esse empturum, nec id posse perficere, si censum instituat. Hinc facile apparet, temporalia tantum emolumenta hominem hunc præ oculis habere. An vero Dei lex & Evangelium illius avaritiæ servire debet; an ille potius Dei, Evangeliique legem sequi? Humilis notæ homo plerumque hic erit, qui nobiles necessitudines cupiet, aut filio suo munus optabit, quod genus suum meritumque superat: licebitne illi propterea pecuniam suam dare ad usuram?

Quare vetus Ecclesia de conscientia casibus libros non habebat? quia videlicet sola Dei lege & Evangelio regebatur. Postquam vero legis Dei, Evangeliique amor in fidelium cordibus fere est extinctus, hi magistros sibi prurientes auribus cocervarunt, qui pravas eorum cupiditates foverent, & sibi placentia solum loquerentur. Ut illorum Deus pravam intentionem puniret, malos hos Doctores ab iis reperiri permisit, qui

non eos divinis legibus subicere curarent, sed divina statuta eorum cupiditatibus accommodare. Hinc detestabilis illa opinio, quam Casuista nonnulli docuere, profecta est, licere pœnitenti quotquot potuerit Doctores consulere, donec illum inveniatur, qui juxta sententiam suam sibi respondeat? Nonne hoc est in Judæorum errorem labi, de quibus Isaias queritur, qui Prophetis suis dicebant: *Loquimini nobis placentia?* (*Isaiæ 20. v. 30.*) Nonne primum Christiani officium, quærendi nempe veritatem, non delectationem, hoc pacto destruitur? Nonne sic in periculosa illa tempora incidimus, quæ prædixit Apostolus, quibus homines ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent (*1. Timoth. 4.*). Occultum hoc, ut diximus, Dei est judicium, cujus rationem investigare nequimus: videlicet permittere, ut tot Auctores, quorum profectio recte intentio est, tam periculosa scribant, eisque tam multi fideles credant.

Hanc itaque certam regulam statuamus, nempe quidquid contra caritatem, Deique amorem fit, quocumque illud prætextu tueamur, nihil prodesse, & aut mortale, aut veniale esse peccatum; nihil siquidem absque Dei amore esse vere bonum, ut præcedentibus capitibus solide demonstravimus.



SECTIO III.

DE

SUI ABNEGATIONE TAMQUAM
ALTERO CHRISTIANÆ MORALIS
FUNDAMENTO.

CAPUT I.

Ut nosmetipsos abnegemus, Christus præcipit, ac baptismalis promissio stringit.

Principium alterum habent Christiani, juxta quod agant, & judicentur, abnegatio nimirum sui, & creaturarum renunciatio. Dei Filius aperte hoc edixit. Apud sanctum Matthæum discipulis suis dicit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me (cap. 16. v. 24.)*. Sanctus Lucas, ut ostendat abnegationem hanc a Domino fidelibus omnino esse præceptam, ait: *Et dicebat ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me (cap. 9.)*. Alibi vero exempla hæc adhibet inquiring: *Quis ex vobis volens turrim adificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum? Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin rogat ea quæ pacis sunt.* Sic ergo omnis ex vobis, qui

*non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest
 meus esse discipulus (cap. 14.).* Tres isti re-
 tus perspicui adeo sunt & aperti ad abnega-
 tionis & renunciationis huiusmodi necessitatem
 probandam, ut aliter explicari nequeant, quin
 rationis, pietatisque sensus omnis repudietur.
 Dici nequit id solummodo esse consilium datum
 Apostolis eorumque successoribus, Presbyteris,
 Monachis, atque iis qui christianam perfectio-
 nem sectantur; sanctus enim Lucas, ut observa-
 vimus, ait: *Et dicebat ad omnes.* Hanc sui ab-
 negationem omnes debent exercere, nemini si-
 quidem licet seipsum diligere amore proprio,
 qui est omnino vitiosus, cum ipsa sit concupiscentia,
 cui, ut diximus, assentiri non licet. *Adiu-
 lis* vero divitiarum renunciatio non omnibus est
 præcepta, non enim debet quisque renunciare
omnibus quæ possidet. Hoc Jesus Christus consi-
 lium illis tradit, qui evangelicam perfectionem
 consequi volunt: *Si vis perfectus esse, (ait ad-
 lescenti Matth. 19.) vade & vende omnia quæ
 possides, & da pauperibus.* Verum quoad asse-
 ctum, & mentis voluntatisque præparationem
 a cunctis fidelibus hæc renunciatio est exercenda.
 Nemo scilicet fidelium corde suo adhærere debet
 divitiis, aut mundo, aut iis quæ in mundo sunt.
*Nolite diligere mundum (inquit sanctus Jo-
 nes Epist. 1. c. 2.) neque ea quæ in mundo sunt.*
 Mundum diligere est velle mundo frui, mundi
 bonis adhærere, in iis finem suum ultimum sta-
 tuere, in iis beatitudinem suam quærere, id est
 ad seipsum illa referre, quod nemini licet, ut et
 iis, quæ de concupiscentia diximus, clare liquet.

Reliquum est (ait Apostolus, 1. Cor. 7.) ut, qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur; nempe juxta græcum textum, tamquam non valde utantur. Vita enim christiani hominis tunc bona vel mala est, si bene aut male utatur & fruatur. Nec est, inquit sanctus Augustinus, vita hominum aliunde vitiosa atque culpabilis, quam male utens & male fruens.

Magnus sanctus Gregorius allata sancti Lucæ verba explicans egregie sic ait: *Admonere vos volo ut relinquatis omnia, sed non præsumo. Si ergo cuncta mundi relinquere non potestis, sic teneate ea, quæ mundi sunt, ut tamen per ea non teneamini in mundo, ut terrena res possideatur, non possideat, ut sub mentis vestræ sit dominio quod habetis, ne si mens vestra terrenarum rerum amore vincitur, a rebus suis magis ipsa possideatur. Sit ergo res temporalis in usu, æterna in desiderio; sit res temporalis in itinere, desideretur æterna in præventionem, quasi ex latere respiciatur quidquid in hoc mundo agitur; ante nos autem tendant mentis oculi, dum tota intentione illa conspiciunt, ad quæ pervenimus.*

Christianæ vitæ perfectio est veluti ædificium turris, quæ ad Cælum usque pertingit; fundamentum illi necessarium est altitudini suæ par, idest sui omniumque creaturarum abnegatio, vel in mentis, voluntatisque præparatione, quod ad omnes spectat, vel actu, quod ad illos pertinet, qui ad id præcipue sunt vocati, veluti Religiosi. *Militia est vita hominis super terram (Job. 7.). In-
duite vos (inquit sanctus Apostolus Paulus Ephes. 6.),*

6.), *armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Hujusce sæculi Princeps fortior homine videtur; omnes quippe creaturas possidet, ut hominem fallat, illumque pertrahat ad inordinate illas amandas. Diabolo itaque est resistendum, illique objicienda abnegatio creaturarum omnium, quas contra nos armat. Cum homo ad perfectam hanc abnegationem pervenerit tunc pace fruitur, victa jam concupiscentia, qua adversus mentem pugnabat.

Nec externa solum bona hæc abnegatio comprehendit, sed mentem præcipue voluntatemque respicit. Oportet igitur ut homo vere fidelis proprio judicio renunciaret, ut se Jesu Christi legi subdat, fidem sequens, & divinæ se voluntati committens, ut prudentiæ suæ, affectibusque renunciaret, sive in rebus agendis, sive in vitæ casibus. *Et fortasse* (inquit idem sanctus Gregorius *hom. 32. in Evang.*) *laboriosum non est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere semetipsum. Minus quippe est abnegare, quod habet, valde autem multum est abnegare, quod est.* „Sui ipsius abnegatio, ait Sanctus Basilus, vitæ „veteris in vitiis actæ integra est renunciatio, & „a propria voluntate discessio.

Quis dubitet debere Christianos omnes propriam relinquere, ut Dei voluntatem impleant? Nonne in dominica Oratione quotidie clamant: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra?* Religiosi, qui Regulæ & Superiori obedientiam voverunt, perfectius, exactiusque hoc exequuntur, homini siquidem propter Deum obediunt: æque

ac religiosus, renetur laicus non suam, sed Dei voluntatem exequi, quam illi Evangelium, sui-que Pastores declarant; & quæ in variis vitæ casibus providentiæ ordine se prodit (a).

CAPUT II.

Crucem suscipere, ac Christum sequi, veri Christiani officium est.

Porro non sufficit sibi metipsum, creaturis que renunciare, crucem quoque quotidie ferre oportet, & Christum sequi. Præceptum hoc ad omnes spectat Christianos, qui capitis sui vitam, crucifixam nempe vivere debent, & cum illo pati,

(a) Casuistæ, mollioris doctrinæ obsoniis enutriti, ea, quæ hac, & præcedente Sectione leguntur, parum curant; eo quod Ascetismum potius quam Theologiam sapere; consiliorum magis, quam præceptorum moralium naturam redolere ipsis videntur. Bene fit. Christus itaque Apostoli, & Patres (ex quorum doctrina Reverendiss. Author suam hausit) mera consilia, non vivendi præcepta tradiderunt, primique Christiani a suis Pastoribus non Theologiam sed Ascetismum acceperunt. Qui ergo exactam Theologiam moralem desiderat; qui plurima, sub confusaneo prius obligationum cumulo obruta, modo in distincto ac bene ordinato consiliorum catalogo collocata videre cupit, jam non Apostolos, non antiquos Patres; sed juniores Doctores consulere debet, quidquid demum dicat Leo Magnus (pag. 67.) utcunque repugnet Zelosissimus Galliæ Clerus (pag. 89. in Not.) Proh absurditatum monstra! O si pristina rediret, & ubique Moralis vigeret, quam felix Orbis Christianus foret!

ti, mortemque oppetere, si cum illo regnare cupiant. *Si compatimur*, (inquit Apostolus Rom. 6.), *& conregnabimus*. Crucem tulere Martyres, qui divitias, vitamque suam contempserunt ut Filii Dei nomen confiterentur. Cessavit persecutio, at cruce non desunt: conditio omnis omnisque ætas suas habet. Morbi, alique cruciatus sunt cruce, quas homines ferre debent. Afflictiones, honorum honorisque jactura, calumniam, injuriam, injustam sententiam, potentum persecutiones, sunt cruce, quæ patienter, dum premunt, ferendæ sunt: cum vero absunt, paratus debet esse animus ad eas venientes libenter excipiendas. Apostolus enim ita nos admonet: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur* (2. Tim. 1.); sive a diabolo, sive a semetipsis, sive ab hominibus.

Hujus obligationis ratio ab ipsa christiani hominis natura petitur; christianus siquidem est homo novus, qui secundum illum, quem induit, nempe Jesum crucifixum, vitam debet instituere. Porro Christus ab ipso vitæ suæ exordio crucem tulit, De ipso enim ait Apostolus: *Ingressus mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisse; corpus autem aptasti mihi. Holocausta pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio* (Hebr. 10.). A primo igitur conceptionis suæ momento Patris sui voluntati obsequens, illamque exequi desiderans crucifixus est. Hinc statim post nativitatem sanguinem suum fudit in circumcissione; ideo ait per Prophetam (Psalm. 36.): *In laboribus a juventute mea: denique* (Hebr.

Crucem suscip. ac Christ. sequi &c. 173

(Hebr. 12.): *Proposito sibi gaudio sustinuit Crucem. Propterea christiani hominis, qui hujusce corporis membrum est, & a nativitate ad mortem usque crucifixa debet esse vita.*

Tunc nascitur christianus, cum baptizatur; sanctus vero Paulus ait: *Quicumque baptizati sumus, consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem (Rom. 6.).* Quare non dixit Apostolus baptizatos nos esse in Christi nativitate, vel circumcissione, aut baptismo, qui baptismi nostri propria erat figura? Ideo sane quia peccato mori debemus, nec peccato jam vivere; sicut *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur (Rom. 6.).* Hoc nos præcipue docet Apostolus, ut baptizati cum Christo moriamur, ejusque morti & cruci participemus. *Baptismus, inquit Sanctus Ambrosius, Salvatoris nobis est sepultura, quia & ibi perdidimus ante quod viximus, & ibi denuo accepimus unde vivamus. Magna sepulturæ hujus est gratia, qua nobis & utilis mors infertur, & vita utilior condonatur.*

Inter cæremonias, quas vetus Ecclesia in adultorum Baptismo adhibebat, potior erat renunciatio, quæ nunc quoque in Baptismate adhibetur. Sacerdos namque ait: *Abrenuncias Sathane, & pompis ejus?* Respondet pro infante Patrinus: *Abrenuncio.*

Ante Ecclesiæ januam olim id fiebat, ut disceremus diabolo, mundo, sibimetipsi renunciandum esse, antequam Ecclesiam quis ingrediatur. Nudi baptizabantur, ut sic ostenderetur creaturarum amo-

amo-

amorem esse abdicandum: recti stabant, & occidentem versi (*Dionys. de cæl. Hier. Greg. Naz. or. 40.*). *In mysteriis primum*, inquit *secundus* Hieronymus, *renunciamus ei, qui in oriente est, nobisque moritur cum peccatis; & versus orientem pactum inimus cum Sole justitiae. & ei nos servituros esse promittimus.* Extendebatur manus veluti ad bellum præsentem diabolum denunciandum; postea ad cælum manus tollebatur; denique ter Catechumeni exsufflabant ad dæmonem repellendum.

Toto itaque vitæ suæ tempore reminisci debent Christiani, se in baptisate mundi principum diabolo, ejusque pompis renunciassent. *Repetit* ait Sanctus Ambrosius, *quid interrogatus sis, recognosce quid responderis.* Quomodo illis licebit delectari mundo, vanitates ejus sectari, pompas voluptates, quibus tam solemniter renunciarunt? Si Religiosos apostatas detestamur, qui vota sua frangunt, nonne detestandi sunt Christiani, qui mundo serviunt, quem numquam se amaturos jurarunt? Licebitne ipsis mundi dogmata sectari, ejusque spiritu vivere, qui vanitatis, superbiae, philautiæ spiritus est? Poteruntne pravi isti defectus excusari, veluti recentes nonnulli Casuisti conati sunt, qui pravis cupiditatibus fræna laxant, quasi ad mediocritatem velint illas adducere, vel id solum sufficiat, ne ad manifesta externa peccata nos pertrahant?

Neque crucem modo ferre sufficit, verum Christum etiam sequi oportet: *Et sequatur me.* Ideo enim sibimetipsi, omnibusque quæ possident renun-

renunciare quis debet, quia sui ipsius & creaturarum amor ab Jesu Christi amore nos avocatur. Propterea inquit Christus: *Si quis non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus (Luc. 14.).* Fuere Philosophi, qui bona sua reliquerunt, ut Philosophiæ liberius vacarent, veluti Thales Milesius: magnos alii sine querela toleravere cruciatus, ut Anacharsis, & Stoicorum discipuli; sed neutri Deo vero servierunt, ideo bonorum contemptus, & in cruciatibus patientia nil illis profuit. Non sufficit igitur omnia relinquere, sed Jesu Christi sectanda sunt vestigia. Quonam vero pacto Christum sequimur? non modo illi credendo, sed ejus patientiam imitando. „Amore „Christi pati, inquit sanctus Joannes Chryso- „mus, est recte pati. Ille Christum sequitur, „qui non modo patienter, verum etiam modeste „& humiliter patitur. Christum sicut oportet „sequitur, qui omnia propter illum suffert. „Multi sequentes diabolum plura patiuntur, & „vitam amittunt; quam utilius, ut salvi fierent, „tradere possent.

Si Mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus (Joan. 15.). Item alibi: *Ego non sum de hoc mundo: Non pro mundo rogo. Sanctus Paulus ait: Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo (Galat. 6.); idest mundum ex-*
croc,

ror, & detestor. *Non enim spiritum hujus mundi accepistis. Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum (1. Cor. 2.).* Addit Sanctus Jacobus *Amicitia hujus mundi inimica est Dei (Jac. 4.)*

Juxta hæc principia & veritates pœnitentes examinare, eorumque opera judicare debet Confessarius (a). Si mundi amore hæc fiunt, profecto mala sunt; ad illa condemnanda libros evolere non est opus, damnationem in seipsis habent inscriptam. Hinc plures circa bonorum vel fœmæ restitutionem difficultates enodabit. Multos enim exempli causa a restitutione retardat amor bonorum, quæ injuste acquisiverunt, & quæ ad pompam, voluptatemque servare cupiunt. Quibus nisi corde adhærerent, sicut illis verat præceptum abnegationis sui, & creaturarum, non ægre illa dimitterent; *non est siquidem, ut jam cum Sancto Augustino diximus, in carendo diffi-*
cultat,

(a) Juxta hæc principia si suos Pœnitentes instruere, examinare, & dijudicare Confessarii tenentur; væ Confessariis illis, qui ipsimet hæc crasse ignorant, juxta illud Isa. 56: *Ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam.* Væ etiam illis! Qui hæc se nosse ore confitentur, factis tamen negant; Qui suos pœnitentes nãdum a mundi sequela hortando non retrahunt; sed continuis, ut vocant, diversionibus, vanis & adulatoriis consabulationibus, mundanisque moribus ad periculosum sensualitatis tramitem terendum in dies magis, ac magis inducunt. Eheu! Quam durum aliquando Judicium iniquis hisce Judicibus erit?

cultas, nisi cum est, in habendo cupiditas. Idem, ubi de honore agatur, est statuendum; non enim qui colaphum, aut baculi ictum accepit, offendere interficeret, vel cum illo in duello congregaretur, sicut novi quidam Casuistæ licitum esse docuere, si a Deo oblatam crucem ferre vellet, mundique honorem contemneret, quemadmodum contemni a Christianis Dominus jubet.

